



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Servo Arbitrio Mar. Lutheri, ad D. Erasmus  
Roterodamum**

**Luther, Martin**

**Wittenbergae, 1526**

**VD16 L 6671**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35482**















UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN




V. 1.  
Th. 7387.












ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEDSTR. 21  
PADERBORN





# DE SER

VO ARBITRIO MAR.

Lutheri, ad D. Eras=  
mum Roteroda=  
mum.

Cum Indice.

VVITTEMBERGAE.

1526.



2  
VENERABILI VIRO DOMINO ERASMO  
ROTERODAMO, MARTINVS  
LVTHER, GRATIAM ET PA-  
CEM IN CHRISTO.

**Q**VOD TARDIVS DIATRIBAE  
tuae de libero arbitrio respondeo,  
Venerabilis Erasme, praeter spem om-  
nium, praeterq; morem meum accidit,  
qui haecenus eiusmodi occasiones scri-  
bendi, non solum libenter apprehendisse, sed uliro  
etiam quaesuisse uisus sum. Mirabitur forte quispiam  
nouam illam & insolitam, uel patientiam, uel for-  
midinem Lutheri, quem nec tot iactata uoces & lite-  
rae aduersariorum exatant, Erasmo uictoriam con-  
gratulantes & Io pean cantantes, salicet Macabaeus  
ille & peruiacissimus assertor, inuenit tandem dig-  
num antagonistam, contra quem hiscere non audeat?  
Verum illos non modo non acaso, sed ipsemet tibi pal-  
mam concedo, qualem nulli antea concessi, non solum,  
quod uiribus eloquentiae & ingenio me longissime su-  
peras, qualem nos omnes merito tibi concedimus, quan-  
to magis ego barbarus in barbarie semper uersatus,  
sed quod & spiritum meum & impetum remoratus  
es, & languidum ante pugnam reddidisti, idq; duabus  
rationibus. Primum arte, quod mirabili scilicet &  
perpetua modestia causam hanc agis, qua mihi obsti-  
tisti, me



illi, ne possem in te accendi. Deinde fortuna uel casu  
 uel fato, quod in tanta re nihil dicis, quod non dictum  
 sit prius, atq; adeo minus dicis & plus tribuis libero  
 arbi. quam haecenus Sophista dixerunt & tribue-  
 runt (de quo latius dicam infra) ut etiam superua-  
 caneum uideretur respondere istis argumentis tuis,  
 antea a me quoq; toties confutatis, conualcatis uero &  
 prorsus protritis, per Philippi Melanchthonis de  
 locis Theologicis inuictum libellum, meo iudicio,  
 non solum immortalitate, sed canone quoq; Ecclesia-  
 stico dignum, cui tuus libellus comparatus, ita mihi  
 sorduit ac uiluit, ut tibi uehementer compaterer, qui  
 pulcherrimam tuam & ingeniosam dictionem in istis  
 sordibus pollueres, ac materiae indignissima indig-  
 narer, quae tam praeciosae eloquentiae ornamentis ue-  
 heretur, tanquam si quis quilia uel stercora aureis ar-  
 genteisq; uasis portarentur, Id quod tu ipse quoq; per-  
 sensisse uideris, qui tam difficilis fuisti ad hoc scrip-  
 tionis munus obeundum, nempe quod conscientia tua  
 te monuit, fore, ut quantislibet eloquentiae uiribus  
 rem tentares, non posse tamen mihi fucum fieri, quin  
 fecas ipsas, semotis uerborum lenocinijs perspicierem,  
 qui & si sermone sum imperitus, rerum tamen scien-  
 tia non sum imperitus gratia Dei, Sic enim cum Pau-  
 lo audeo mihi arrogare & tibi cum fiducia derogare  
 scientiam, licet eloquentiam & ingenium tibi arrogem  
 ac mihi derogem libens ac debens. Proinde sic cogi-

A ij tami,



4  
taui, Si qui sunt, qui nostra tantis scripturis munita,  
non altius imbiberunt nec fortius tenent, quam ut istis  
leuibus & nihili argumentis Erasmi, quamuis orna-  
tissimis, mouentur, digni non sunt, quibus mea respon-  
sione medeatur, Nihil enim talibus satis dici aut scribi  
posset uel multis milibus librorum etiam milies repe-  
titis, simili enim opera littus araris, & arenae semina  
mandaris, aut dolium pertusum aqua repleueris. Illis  
enim, qui spiritum magistrum in nostris libellis hau-  
serunt, satis abunde a nobis ministratum est, tuaque sa-  
cile contemnuunt, qui uero sine spiritu legunt, nihil mi-  
rum, si quouis uento, uelut arundo, agentur, quibus  
nec Deus satis dixerit, etiam si omnes creaturae in lin-  
guas uerterentur. Vnde illos relinquere, pene consi-  
lium fuisse, libello tuo offensos, cum ijs, qui glori-  
antur & triumphos tibi decernunt. Itaque nec multitu-  
dine negotiorum, nec rei difficultate, nec magnitudine  
eloquentiae tuae, nec timore tui, sed mero tedio, indig-  
natione & contemptu, seu (ut dicam) iudicio meo de  
tua diatribe, impeditus est mihi impetus respondendi,  
ut illud interim taceam, quod tui perpetuo similis, sa-  
tis pertinaciter obseruas, ne non ubique lubricus &  
flexiloquus sis, ac Ulyse cautior, inter scyllam &  
Charybdim tibi uideris nauigare, dum nihil uis asser-  
tum, rursus tamen assertor uideri, cum quo genere ho-  
minum, quid, rogo, potest conferri aut componi, ni-  
si quis Prothei capiendi peritus fuerit? In qua re quid  
possim,



possim, & quid ea tibi profuerit, postea ostendam  
cooperante Christo.

Vi igitur nunc respondeam, non est prorsus nulla  
causa, Urgent fideles in Christo fratres, expecta-  
tionem omnium mihi obijcientes, quod Erasmi auto-  
ritas contemnenda non sit, & Christianae doctrine  
ueritas periclitetur in multorum cordibus. Et mihi  
sane tandem in mentem uenit, silentium meum satis pi-  
um non fuisse, esseq; mihi a crânis meae prudentia ue-  
malitia illudum, ut non satis memor essem officij mei,  
quo debitor sum sapientibus & insipientibus, praes-  
sertim cum ad id uocer, tot fratrum precibus. Quam-  
uis. n. res nostra talis est, quae externo doctore non est  
contenta, sed praeter eum, qui plantat & rigat foris,  
etiam desideret spiritum Dei, qui incrementum det  
& uiuus uiua doceat intus ( quae cogitatio mihi im-  
posuit ) tamen cum liber sit ille spiritus, ac spi-  
ret, non ubi nos uolumus, sed ubi ipse uult, ser-  
uanda fuerat regula illa Pauli, Insta oportune, im-  
oportune, Non enim scimus, qua hora dominus uen-  
turus sit. Esto, sint, qui magistrum spiritum  
hactenus in meis literis nondum senserunt, &  
per Diatriben illam sint prostrati, forte nondum  
uenerat hora eorum. Et quis scit, si Deus etiam  
te uisitare dignabitur Optime Erasme, per me mi-  
serum & fragile uasculum suum, ut foelici hora  
( quod ex corde rogo patrem misericordiarum

A 3 per Chri-



per Christum dominum nostrum) hoc libello ad te ueniam, & charissimum fratrem lucrifaciam. Nam & si male tu sentis & scribis de libero arbitrio, tamen a me tibi non parue debentur gratia, quod mihi meam sententiam reddidisti longe firmiorem, cum uiderem causam liberi arbitrij a tali tantoq; ingenio, summis uiribus agi, & adeo nihil peragi, ut peius haberet quam antea. Quod euidentis est argumentum, Liberum arbitrium esse merum mendacium, quod exemplo mulieris illius Euangelicae, quo plus a medicis curatur, eo peius habet. Cumulata igitur reddetur tibi a me gratia, si per me certior fias, sicut ego per te firmior, Verum utrunq; donum est spiritus, non opus officij nostri. Quare orandus est Deus, ut mihi os, tibi uero & omnibus cor aperiat, sitq; ipse magister coram in medio nostri, qui in nobis loquatur & audiatur. A te uero, Mi Erasme, sinas hoc me impetrare, ut sicut ego tuam fero in his rebus ignorantiam, ita tu uicissim, feras meam infantiam. Non uni dat cuncta Deus, Nec omnia possumus omnes, seu ut Paulus ait, Distributiones donorum sunt, idem autem spiritus. Reliquum igitur est, ut dona mutuas operas tradant, & alter suo dono alterius onus & penuriam portet, sic implebimus legem Christi.

Principio aliqua capita Praefationis tuae percurrere uolo, quibus non nihil causam nostram grauas, & tuam adornas. Primo illud, quod etiam alijs libellis per-



*peruicacitate* 7  
lis peruicaciam asserendi in me reprehendis, Et in hoc libello dicitis, te adeo non delectari assertionibus, ut facile in Scepticorum sententiam pedibus discessurus sis, ubicumq; per diuinarum scripturarum inuolabilem auctoritatem & Ecclesie decretaliteat, quibus tuum sensum ubiq; libens submittis, siue assequeris quod prescribit, siue non assequeris, Hoc ingenium placeat. Hæc ( ut par est ) accipio à te beneuolo animo dici, & qui pacis amans sit. Sed si alius deceret, forte meo more in eum ferrer, Verum nec pati debeo, te, licet optime uolentem, ea opinione errare. Non est enim hoc Christiani pectoris, non delectari assertionibus, imo delectari assertionibus debet, aut Christianus non erit. Assertionem autem uoco ( ne uerbis ludamur ) constanter adherere, affirmare, confiteri, tueri atq; inuictum perseuerare, nec aliud credo, uox ea latinis uel nostro usu & sæculo significat. Deinde loquor de rebus illis asserendis, quæ nobis traditæ sunt diuinitus in sacris literis, Alioqui neq; Erasmo neq; alio quouis magistro opus nobis est, qui doceat, in rebus dubijs uel inutilibus ac non necessarijs, non modo stultas sed etiam impias esse assertiones, pugnas & rixationes, quas Paulus non uno loco damnat. Nec tu de ijs hoc loco dicitis, credo, nisi uel ridiculi oratoris more, aliud præsumere & aliud tractare uelles, uelut ille ad Rombum, uel impij scriptoris insania, articulum de libero arbitrio dubium, aut non necessarium esse contendas. A iij Absur



Absint a nobis Christianis Sceptici & Academici,  
 Assint uero uel ipsis Stoicis bis pertinatiores assertio-  
 res. Paulus Apostolus, quoties rogo Pleropheriam  
 illam exigit, id est, certissimam illam ac firmissimam  
 conscientie assertionem? Ro. 10. confessionem dicens,  
 Ore confessio fit ad salutem. Et Christus, Qui me  
 confitetur coram hominibus, confitebor ego eum co-  
 ram Patre meo. Petrus rationem reddere iubet de ea,  
 que in nobis est spe. Quid multis opus est? Nihil  
 apud Christianos notius & celebratius, quam asser-  
 tio. Tolle assertiones, & Christianismum tulisti.  
 Quin spiritus sanctus de coelo illis datur, ut clarificet  
 Christum & confiteatur usq; ad mortem, nisi hoc non  
 est asserere, ob confessionem & assertionem mori.  
 Deniq; adeo asserit spiritus, ut etiam ultero inuadat &  
 arguat mundum de peccato, uelut laceffens pugnam,  
 Et Paulus Timotheon iubeat increpare, instareq;  
 importune. Quam uero mihi festius fuerit ille in-  
 crepator, qui ipse, quod increpat, neq; certus credit  
 neq; constanter asserat, ad Anticyram scilicet illum  
 mitterem. Sed ego longe stultissimus, qui in re clari-  
 ore quam sol est, uerba & tempus perdo. Quis  
 Christianorum ferat, Assertionem esse contemnendam?  
 hoc esset aliud nihil, quam semel totam religionem ac  
 pietatem negasse, aut asseruisse, nihil esse religionem,  
 aut pietatem, aut ullum dogma. Quid ergo tu quoq;  
 asseris, non delector assertionibus, et hoc ingenium te  
 malle



9  
malle quam diuersum?

Verum tu de confitendo Christo, & dogmatibus eius, hic nihil uoles dixisse, Recte moneor. Et ego in gratiam tui, meo iuri & mori cedo, ac de animo tuo nolo iudicare, inq; aliud tempus uel alijs id reseruo, Interim, ut linguam & calamus corrigas, & deinceps tibi temperes a talibus uerbis, moneo, na utcumq; animus sit integer & candidus, oratio tamen, que animi character esse dicitur, non talis est. Si enim causam liberi arbitrij non necessariam scitu, nec ad Christum pertinere arbitraris, recte loqueris, At impie tamen arbitraris. Si uero necessariam arbitraris, impie loqueris, & recte arbitraris. Nec tum fuit locus, de inutilibus assertionibus & rixis tanta querulari & exaggerari, Quid enim hæc ad statum cause? Sed quid dices de istis tuis uerbis, ubi non de una lib. arb. causa, sed de totius religionis dogmatibus generaliter dices, si liceret per inuiolabilem autoritatem diuinarum literarum & Ecclesie decreta, discessurum te in Scepticorum sententiam, adeo non delesteris assertionibus? Qualis Protheus est in uocabulis illis, inuiolabilem autoritatem et Ecclesie decreta? scilicet quasi ualde reuereris scripturas & Ecclesiam, & tamen significas, optare te licentiam, ut esses Scepticus? Quis Christianorum sic loqueretur? Hoc si dices de inutilibus & neutris dogmatibus, Quid noui offers? Quis non optet licentiam hic Scepticæ professionis?

A 5 imo



imo quis Christianus de facto non utitur libere hac licentia, damnatq; addictos & captiuos alicuius sententia? Nisi Christianos uniuersos pro talibus habet ( ut uerba fere sonant ) quorum dogmata sunt inutilia, in quibus stulte rixentur & assertionibus pugnent, Si uero de necessarijs dicis, quid magis impie possit aliquis asserere, quam optare licentiam, nihil asserendi in talibus? Sic potius dicet Christianus, Adeo non delector Scepticorū sententia, ut ubicunq; per infirmitatem carnis liceret, non modo sacris literis constanter ubiq; in omnibusq; partibus adhererem & assererem, sed etiam optem in non necessarijs & extra scripturam positis rebus, esse quam certissimum. Quid enim incertitudine miserius?

Quid etiam ad illa dicemus? ubi subiungis, quibus submitto ubiq; sensum meū libens, siue assequor, quod prescribunt, siue non assequor. Quid ais Erasme? Non satis est submittere sensum scripturis? Etiam Ecclesie decretis submittis? Quid illa potest decernere, non decretum in scripturis? Deinde ubi manet libertas & potestas iudicandi decretores illos? ut Paulus .1. Cor. 14. docet, Ceteri dijudicent. Non placet tibi esse iudicem in decretis Ecclesie, quod Paulus tamen precipit? Quae ista noua religio & humilitas, ut nobis tuo exemplo potestatem adimas iudicandi decreta hominum, & subicias sine iudicio hominibus? Vbi hoc nobis mandat scriptura Dei? Deinde quis



inde quis Christianorum sic uento mandet præscripta  
 scripturæ & Ecclesiæ, ut dicat, siue assequor siue  
 non assequor? Submittis te, & tanen nihil curas, an  
 assequaris nec ne, Christianus uero anathema sit, si  
 non certus sit & assequatur, id quod ei præscribitur,  
 quomodo enim credet, id quod non assequitur? Nam  
 tu illud hic assequi dices, quod certo quis apprehen-  
 derit & non Sceptico more dubitauerit. Alioqui quid  
 est in ulla creatura, quod ullus homo assequi possit, si  
 assequi id sit, quod perfecte nosse ac uidere? Tum  
 enim nec locum haberet, ut aliquis simul quædam asse-  
 qui & quædam non assequi posset, sed unum aliquid  
 assecutus omnia assecutus esset, puta in Deo, quem  
 qui non assequitur, nullam partem creaturæ unquam  
 assequitur.

Summa, hæc tua uerba hoc sonant, apud te nihil  
 referre, quicquid a quolibet, ubiq; credatur, modo  
 pax mundi constet, licereque ob periculum uitæ, fa-  
 me, rerum & fauoris, illum imitari qui dixit. Aiunt,  
 Aio, negant, nego, & habere dogmata Christiana  
 nihilo meliora, quam philosophorum & hominum  
 opiniones, pro quibus stultissimum est rixari, pug-  
 nare, asserere, quod inde nihil nisi contentio & tur-  
 batio pacis externæ ueniant, Quæ supra nos, nihil ad  
 nos. Ita dirempturus nostros conflictus uenis medius,  
 ut utrosq; suspendas, & persuadeas, de stultis ac in-  
 uilibus rebus nos digladiari, Sic inquam sonant tua  
 uerba.



uerba. Et quid hic preman, puto te intelligere, Ad  
 Erasme. Sed ut dixi, Verba eant, Cor tuum inter-  
 rim excuso, modo tu non prodas latius, ac metue spi-  
 ritum Dei, qui scrutatur renes & corda, nec fallitur  
 compositis uerbis. Dixi enim hæc ideo, ut deinceps  
 desinas nostram causam arguere pertinacia & per-  
 uicacia. Nam hoc consilio aliud nihil facis, quam quod  
 significas, te in corde, Lucianum aut alium quendam  
 de grege Epicuri porcum alere, qui cum ipse nihil  
 credat esse Deum, rideat occulte omnes, qui credunt  
 & confitentur. Sine nos esse assertores & assertio-  
 nibus studere & delectari, tu Scepticis tuis & Aca-  
 demicis faue, Donec te Christus quoque uocauerit. Spi-  
 ritus sanctus non est Scepticus, nec dubia aut opinio-  
 nes in cordibus nostris scripsit, sed assertiones ipsa  
 uita & omni experientia, certiores & firmiores.

Ad alterum caput uenio, quod huic coheret, Vbi  
 dogmata Christiana distinguis, quædam scitu necessaria,  
 quædam non necessaria fingis, Esse quædam abstrusa, quæ-  
 dam exposita dicis, Sic uel aliorum uerbis lusus ludis, aut  
 tripsum uelut artificio rhetorico exerces. Adducis au-  
 tem pro ista sententia illud Pauli Ro. xi. O altitudo diui-  
 ciarum sapientiae & scientiae Dei. Item illud Esaiæ. 40.  
 Quis adiuuit spiritum domini, aut quis consiliarius eius  
 fuit? Hæc tibi fuerunt dicta facilia, ut qui uel scires te  
 non scribere ad Lutherum, sed pro uulgo, uel non  
 cogitares te scribere contra Lutherum, quem tam  
 men



non aliquo studio & iudicio in sacris literis digna-  
 ris spero, Si non dignaris, en extorquebo etiam. Sic  
 habet mea distinctio, ut & ego parum rhetorice uel  
 Dialectice. Duæ res sunt Deus & Scriptura Dei,  
 non minus quam duæ res sunt, Creator & creatura  
 Dei. In Deo esse multa abscondita, quæ ignoremus,  
 nemo dubitat, sicut ipsemet dicit de die extremo, De  
 die illo nemo scit, nisi pater. Et Actuum. i. Non est  
 uestrum nosse tempora & momenta. Et iterum, Ego  
 noui, quos elegerim. Et Paulus, Nouit dominus qui  
 sunt eius, & similia. Sed esse in scriptura quedam  
 abstrusa & non omnia exposita, inuulgatum est qui-  
 dem per impios Sophistas, quorum ore & tu loque-  
 ris hic Erasme, sed nunquam unum articulum pro-  
 duxerunt, nec producere possunt, quo suam hanc in-  
 saniam probarent. Talibus autem laruis Satanas ab-  
 sterruit a legendis literis sacris, & reddidit Scriptu-  
 ram sanctam, contemptibilem, ut suas pestes ex Phi-  
 losophia in Ecclesia faceret regnare. Hoc sane fate-  
 or, esse multa loca in scripturis obscura & abstrusa,  
 non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam uoca-  
 bulorum & grammaticæ, sed quæ nihil impediant  
 scientiam omnium rerum in scripturis, Quid enim  
 potest in scripturis augustius latere reliquum, post-  
 quam fractis signaculis & uoluto ab hostio sepulchri  
 lapide, illud summum mysterium proditum est, Chri-  
 stum filium Dei factum hominem, Esse Deum trinum  
 & unum,



& unum, Christum pro nobis passum & regna-  
 tum eternaliter? Nonne hæc etiam in binis sunt nota  
 & cantata? Tolle Christum e scripturis, quid am-  
 plius in illis inuenies? Res igitur in scripturis conten-  
 te omnes sunt prodite, licet quædam loca adhuc uer-  
 bis incognitis obscura sint. Stultum est uero & im-  
 pium, scire, res scripturæ esse omnes in luce positas  
 clarissima, & propter pauca uerba obscura, res obs-  
 curas dictare. Si uno loco obscura sunt uerba, et  
 alio sunt clara, Eadem uero res, manifestissime toti  
 mundo declarata, dicitur in scripturis tum uerbis cla-  
 ris, tum adhuc latet uerbis obscuris. Iam nihil refert,  
 si res sit in luce, an aliquod eius signum sit in tenebris,  
 cum interim multa alia eiusdem signa sint in luce.  
 Quis dicet fontem publicum non esse in luce, quod hi  
 qui in angiporto sunt, illum non uident, cum omnes  
 qui sunt in foro uideant?

Nihil igitur est, quod de Coricio specu adducis,  
 Non habet ita res in scripturis, Et quæ sunt summe  
 maiestatis & abstrusissima mysteria, non sunt amplius  
 in secessu, sed in ipsis foribus & in propatulo, pro-  
 ducta & exposita, Christus enim aperuit nobis sen-  
 sum, ut intelligamus scripturas, Et Euangelion prædi-  
 catum est omni creaturæ, In omnem terram exiuit so-  
 nus eorum, Et omnia quæ scripta sunt, ad nostram  
 doctrinam scripta sunt. Item, Omnis Scriptura diuinitus  
 inspirata, utilis est ad docendum, Igitur tu & omnes  
 Sophiste,



Sophistæ, agite & producite unū aliquod mysterium, quod sit in scripturis adhuc abstrusum. Quod uero multis multa manent abstrusa, non hoc fit scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate uel socordia, qui non agunt, ut clarissimam ueritatem uideant, Sicut Paulus de Iudeis dicit .2. Cor. 4. Velamen manet super eorum. Et iterum, Si Euangelion nostrum operum est, in ijs qui periunt opertum est, quorum corda Deus huius seculi excæcauit. Eadem temeritate, solem obscurumq; diem culparet, qui ipse sibi oculos uelaret, aut a luce in tenebras iret, et sese obseconderet. Desinant ergo miseri homines, tenebras & obscuritatem cordis sui blasphema peruersitate, scripturis Dei clarissimis imputare.

Tu ergo cum Paulum adducis, dicentem, Incomprehensibilia sunt iudicia eius, uideris pronomen, Eius, ad scripturam retulisse, At Paulus non dicit, Incomprehensibilia sunt iudicia scripturæ, sed Dei. Sic Esaias .40. non dicit, Quis nouit sensum scripturæ, sed sensum domini, quamuis Paulus asserat, Christianis notum esse sensum Domini, uerum in his, quæ donata sunt nobis, ut ibidem dicit .1. Cor. 2. Vides ergo quam oscitanter hos locos scripturæ inspexeris, & tam apte citaris, quam apte citas fere omnia pro libero arbitrio, Sic & exempla tua, quæ subiungis, non sine suspitione & aculeo, nihil faciunt ad rem, qualia de distinctione personarum, de conglutinatione nature diuinæ



re diuinae & humanae, de peccato irremissibili, quorum  
 ambiguitatem dicis nondum esse resectam. Si de  
 Sophistarum questionibus circa has res agitis, in-  
 telligis, quid tibi fecit innocentissima scriptura, ut  
 ab usum sceleratorum hominum obijcias illius purita-  
 ti? Scriptura simpliciter confitetur trinitatem Dei &  
 humanitatem Christi, & peccatum irremissibile, Ni-  
 hil hic obscuritatis aut ambiguitatis, Quibus uero  
 modis ista habeant, Scriptura non dicit, ut tu fugis,  
 nec opus est nosse. Sophistae hic sua somnia tractant,  
 illos argue & damna, & scripturas absolue. Si uero  
 intelligis, de ipsa rei substantia, iterum non scriptu-  
 ras, sed Arrianos argue, & eos, quibus opertum est  
 Euangelion, ut clarissima testimonia de diuinitatis tri-  
 nitate & humanitate Christi, per operationem Sa-  
 tanæ Dei sui non uideant. Et ut breuiter dicam, Du-  
 plex est claritas scripturæ, sicut & duplex obscu-  
 ritas, Vna externa in uerbi ministerio posita, altera  
 in cordis cognitione sita. Si de interna claritate dixe-  
 ris nullus homo unum iota in scripturis uidet, nisi qui  
 spiritum Dei habet, omnes habent obscuratum cor,  
 ita, ut si etiam dicant & norint proferre omnia scrip-  
 turæ, nihil tamen horum sentiant aut uere cognos-  
 cant, neque credunt Deum, nec sese esse creaturas Dei,  
 nec quicquam aliud, iuxta illud Psal. 13. Dixit insipi-  
 ens in corde suo, Deus nihil est, Spiritus enim re-  
 quiritur ad totam scripturam & ad quamlibet eius  
 partem



partem intelligendam, Si de externa dixeris, Nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguum, sed omnia sunt per uerbum in lucem producta certissimam, & declarata toto orbi, quæcumq; sunt in scripturis.

Sed illud magis est intollerabile, quod causam hanc lib. arb. inter ea numeras, quæ sunt inutilia & non necessaria, Et loco eius nobis recenses, quæ ad pietatem Christianam satis esse iudices, qualem formam certe describeret facile quilibet Iudæus aut gentilis Christi prorsus ignarus, nam Christiane uno quidem iota mentionem facis, ac si sentias, Christianam pietatem sine Christo esse posse, tantum si Deus natura clementissimus totis uiribus colatur. Quid hic dicam Erasme? Totus Lucianum spiras, & inhalas mihi grandem Epicuri crapulam, Si tu hanc causam non necessariam ducis Christianis, cede queso exarena, nihil tibi & nobis, Nos necessariam ducimus, Si est irreligiosum, si est curiosum, si superuacaneum, ut tu dicis, scire, An Deus contingenter præsciat aliquid, An uoluntas nostra aliquid agat in his, quæ pertinent ad æternam salutem, uel tantum patiatur ab agente gratia, An quicquid boni uel mali facimus, mera necessitate faciamus, uel patiamur potius, quid rogerit tum religiosum? quid graue? quid utile scitu? Hoc prorsus nihil ualet Erasme, das ist zu uiel, Difficile est hoc tribuere ignorantie tuæ, ut qui iam senex

B & inter



Et inter Christianos uersatus, et sacras literas diu  
 meditatus, non relinquis locum, quo te excuseris  
 aut bene de te cogitemus. Et tamen hæc portenta tibi  
 ignoscunt Papistæ et ferunt, ea gratia, quod in Lu-  
 therum scribis, alioqui te dentibus laceraturi, si Lu-  
 therus abesset, et talia scriberes. Amicus Plato, Ami-  
 cus Socrates, sed præhonoranda ueritas. Nam ut pau-  
 rum intelligeres in scripturis et pietate Christiana,  
 certe hoc uel hosti Christianorum sciendū erat, quid  
 Christiani necessarium et utile, et quid non tale hæ-  
 berent, Tu uero Theologus et Christianorum ma-  
 gister, præscripturus illis formam Christianismi, non  
 saltem more Sceptico tuo, dubitas quid necessarium  
 et utile illis sit, sed plane in diuersum laberis, et iam  
 contra ingenium tuum assertionem inaudita, iudicas, ea  
 non esse necessaria, quæ nisi necessaria et cognita cer-  
 to fuerint, nec Deus, nec Christus, nec Euangelion,  
 nec fides, nec quicquam reliquum est, ne Iudaismi qui-  
 dem, multo minus Christianismi. Deum immortalem,  
 Erasme, quantam fenestram, imò quantum campum  
 aperis contra te agendi et dicendi, Quid tu de lib-  
 arb. boni aut recti scriberes, qui tantam ignorantiam  
 scripture et pietatis, his uerbis tuis confiteris? Sed  
 contraham uela, nec meis uerbis hoc loco (quod in-  
 fra forte faciam) sed tuis uerbis agam tecum.

Forma Christianismi à te descripta inter cetera  
 hoc hæc



hoc habet, ut totis uiribus enitamus, ad eam remedium pœnitentiæ, ac domini misericordiam modis omnibus ambiamus, sine qua nec uoluntas humana efficax est nec conatus. Item nemini desperandum esse ueniam a Deo natura clementissimo. Hæc uerba tua, sine Christo, sine spiritu, ipsa glacie frigidiora, ita ut etiam uitium in illis patiatur eloquentiæ tuæ decor, quæ misero uix extorsit metus forsitan pontificum & tyrannorum, ne prorsus Atheos uidereris, hoc tamen asserunt, Esse uires in nobis, Esse nisum totis uiribus, Esse misericordiam Dei, Esse modos ambiendi misericordiam, Esse Deum natura iustum, natura clementissimum &c. Siquis igitur ignoret, quid sint illæ uires, quid possint, quid patiantur, quis nisus eorum, quæ efficacia, quæ inefficacia, quid ille faciet? quid tu illum facere docebis? Irreligiosum (inquis) curiosum & superuacaneum est nosse uelle, an uoluntas nostra aliquid aget in ijs, quæ pertinent ad æternam salutem, an tantum patiatur ab agente gratia, At hic dicis contra, Esse pietatem Christianam, Eniti totis uiribus, & sine misericordia Dei uoluntatem non efficacem esse. Hic plane asseris uoluntatem aliquid agere in ijs, quæ pertinent ad æternam salutem, dum eam fingis enitentem, At rursus patientem, dum sine misericordia dicis inefficacem, licet non definias, quatenus illud agere & pati intelligendum sit, data opera facturus

B z ignaros,



ignaros, quid ualeat misericordia Dei, quid ualeat uoluntas nostra, eo ipso, quo doces, quid faciat uoluntas nostra, & misericordia Dei, sic te rotat tua illa prudentia, qua neutri partium adherere statuisti, & inter Scyllam & Charibidem tuto euadere, ut medio mari fluctibus obrutus & confusus, omnia asseras, quæ negas, & neges, quæ asseris.

Similitudinibus aliquibus tibi tuam Theologiam ob oculos ponam. Bonum Poema uel orationem facturus, non cogitet, nec querat, quale sit ingenium quid, possit, quid non possit, quid requirat argumentum susceptum, planeque omittat illud præceptum Horatii, Quid ualeant humeri, quid ferre recusent, sed solum opus præceps tentet, & cogitet. Enitendum est, ut fiat, curiosum & superuacaneum est querere, utrum suppetat tanta eruditio, tanta facundia, tanta uis ingenij. Aut si quis uberes fructus ex agro sit recepturus, non sit curiosus superuacanea cura explorandi ingenij terræ, sicut Virgilius in Georgicis curiose & frustra docet, sed feratur temere, nihil nisi opus cogitet, aret littus, semina mandet, quæ qua patet, siue arena siue limus. Aut si quis bellum gesturus uictoriam pulchram petat, uel aliud quidpiam officium in re publica præstare debet, non sit curiosus, consultando, quid possit, an ærarium sufficiat, an milites apti sint, an copia facti ulla sit, prorsusque contemnat illud Historici, Antequam facias, consulto, ubi consulueris, mature factum opus est,



opus est, sed irruat cæcis oculis & auribus clausis,  
 nihil nisi, bellum, bellum, uociferet & operi instet.  
 Quid rogo Erasme, de talibus poetis, agricolis &  
 imperatoribus & principibus iudicabis? Ad dam il-  
 lud Euangelicum, Si quis turrin edificaturus, non pri-  
 us sedens computet sumptus, an habeat ad perficien-  
 dum, Quid de illo iudicat Christus?

Sicut quoq; nobis facta decernis sola, uetas uero  
 primum explorare & metiri aut nosse uires, quid  
 possimus & non possimus, tanquam hoc sit curiosum  
 & superuacaneum & irreligiosum, Ita dum nimia  
 prudentia, temeritatem detestaris & sobrietatem præ-  
 tendis, eò peruenis, ut summam temeritatem etiam do-  
 ceas. Nam ut Sophistæ temerarij & insani sint facti,  
 dum curiosa tractant, mitius tamen peccant quam tu,  
 qui etiam doces & iubes insanire & temere ferri,  
 Atq; quo maior sit insania, hanc temeritatem nobis  
 pulcherrimam Christianamq; pietatem, sobrietatem,  
 religiosam grauitatem & salutem esse persuades, ni  
 ita faciamus, irreligiosos, curiosos et uanos nos asseris  
 assertionum tantus hostis, & pulchre euasisti Scyl-  
 lam, dum uitasti Charibdim, Sed huc te perpellit fi-  
 ducia ingenij tui, qui credis sic te posse per eloquenti-  
 am omnibus ingenijs imponere, ut nullus queat per-  
 sentiscere, quid alas in animo & quid moliaris lubri-  
 cis illis scriptis tuis, Deus uero non irridetur, in quem  
 non est bonum impingere. Porro si hanc temeritatem



nos docuisses, in poematibus faciendis, in fructibus parandis, in bellis & officijs obeundis, aut domibus edificandis, quanquam est intollerabilis, praesertim in tanto uiro, tamen aliqua uenia dignus tandem eras, saltem apud Christianos, qui temporalia contemunt, At cum Christianos ipsos iubeas temerarios operarios fieri, & in salute aeterna paranda, incuriosos esse mandas, quid possint & non possint, hoc plane peccatum est uere irremissibile, Nescient enim quid faciant, dum ignorant, quid & quantum possunt, Ignorantes autem quid faciant, poenitere (si errent) non possunt, Impoenitentia autem peccatum irremissibile est, Atque huc ducit nos tua illa moderata Sceptica Theologia.

Igitur non est irreligiosum, curiosum aut superuacaneum, sed imprimis salutare & necessarium Christiano, nosse, an uoluntas aliquid, uel nihil agat in ijs, quae pertinent ad salutem, Imò ut scias, hic est cardo nostrae disputationis, hic uersatur status causae huius, Nam hoc agimus, ut disquiramus, quid nam possit lib. arb. quid patiat, quomodo se habeat ad gratiam Dei, Haec si ignorauerimus, prorsus nihil Christianarum rerum noscemus, erimusque omnibus gentibus peiores. Qui hoc non sentit, fateatur sese non esse Christianum, Qui uero reprehendit uel contemnit, sciat sese esse summum Christianorum hostem. Nam si ignorauero, quid, quatenus, & quantum ego possum & faciam erga Deum, pariter incertum & ignotum



notum mihi erit, quid, quatenus et quantum Deus in me  
 potest et faciat, cum Deus operetur omnia in omnibus.  
 Ignoratis uero operibus et potentia Dei, Deum ipsum  
 ignoro. Ignorato Deo, colere, laudare, gratias agere,  
 seruire Deo non possum, dum nescio, quantum mihi tri-  
 buere, quantum Deo debeo. Oportet igitur certissimam  
 distinctionem habere, inter uirtutem Dei et nostram,  
 inter opus Dei et nostrum, si uolumus pie uiuere. Ita  
 uides, hoc problema esse partem alteram totius summae  
 Christianarum rerum, in quo pendet et periclitatur  
 cognitio sui ipsius, cognitio et gloria Dei. Quare non  
 est ferendum in te, Mi Erasme, ut hoc nosse irreligio-  
 sum, curiosum et uanum appelles, Multa tibi debemus,  
 Sed pietati omnia debemus. Quin tu ipse totum bonum  
 nostrum Deo ascribendum esse sentis, idque asseris in for-  
 ma tui Christianismi, Hoc autem asserto, certe simul asse-  
 ris, Dei misericordiam solam omnia agere et uolun-  
 tatem nostram nihil agere, sed potius pati, alioqui non  
 totum Deo tribuetur, At paulo post, negas id asserere  
 uel nosse, esse religiosum, pium et salutare, Sed sic  
 loqui cogitur mens sibi ipsi non constans, in rebus pie-  
 tatis incerta et imperita.

Altera pars summae Christianae est, Nosse, an Deus con-  
 tingenter aliquid praesciat, et an omnia faciamus necessita-  
 te, Et hanc etiam irreligiosam, curiosam, et uanum facis, si  
 cut et omnes impij faciunt, Quin demones et damnati ex-  
 osam et execrabilem faciunt. Neque stultus es si istis qua-

B 4 stionibus



stionibus te eximis, modo id fieri liceat. Sed interim  
 parum bonus Rhetor & Theologus es, qui de libero  
 arbitrio sine istis partibus dicere & docere præsu-  
 mis. Fungar cotis uice & ipse non Rhetor, egregi-  
 um rhetorem officij sui monebo. Si de oratoria scrip-  
 turus, sic diceret Quintilianus, meo iudicio, illa stul-  
 ta & superuacanea, de inuentione, dispositione, elo-  
 cutione, memoria, pronuntiatione, omittenda sunt,  
 satis sit nosse, oratoriam esse benedicendi peritiam,  
 nonne rideres artificem? Non aliter tu quoque facis,  
 scripturus de lib. arb. abigis & abijcis primum, to-  
 tum corpus & omnes partes artificij, eius de quo scrip-  
 turus es, Nam fieri non potest, ut scias, quid sit lib.  
 arb. nisi scieris, quid possit uoluntas humana, Quid  
 Deus faciat, an necessario præsciat. Nonne & rhe-  
 tores tui docent, De causa aliqua dicturum, oportere  
 dicere, Primum an sit, deinde quid sit, quæ eius par-  
 tes, quæ contraria, affinia, similia &c? Tu uero  
 miserum illud per sese lib. arb. his omnibus spoliis,  
 & nullam questionem de eo definis, nisi unam illam  
 primam, scilicet, an sit, idque argumentis talibus, qua-  
 libus uidebimus, ut ineptiorem librum de lib. arbit.  
 non uiderim, excepta orationis elegantia. Sophista  
 sane melius hic saltem dialecticantur, quando rhetori-  
 cari nesciunt, qui lib. arb. aggressi, definiunt omnes  
 questiones eius, An sit, quid sit, quid faciat, quomo-  
 do habeat &c, licet & ipsi non efficiunt, quod ten-  
 tant.



tant. Urgebo igitur hoc libello te & Sophistas omnes, donec lib. arb. vires & opera mihi definiatis, Et sic urgebo (Christo propitio) ut sperem me ad actum te ad poenitentiam edita diatribes tuae.

Est itaq; & hoc imprimis necessarium & salutare Christiano, nosse, quod Deus nihil praescit contingenter, sed quod omnia incommutabili & aeterna, infallibiliq; uoluntate & praevidet & proponit & facit. Hoc fulmine sternitur & conteritur penitus lib. arb. ideo qui lib. arb. uolunt assertum, debent hoc fulmen uel negare, uel dissimulare, aut alia ratione a se abigere. Antequam uero id mea disputatione & scripturae auctoritate firmem, prius tuis uerbis ipsum tractabo. Nonne tu es mi Erasme, qui asseruisti paulo ante, Deum natura iustum, natura clementissimum? Si hoc uerum est, nonne sequitur, quod incommutabiliter sit iustus & clemens? ut quemadmodum natura eius non mutatur in aeternum, ita nec eius iustitia & clementia. Quod autem de iustitia & clementia dicitur, etiam de scientia, sapientia, bonitate, uoluntate & alijs diuinis rebus dici oportet. Si igitur haec religiose, pie & salubriter de Deo asseruntur, ut tu scribis, Quid accidit tibi, ut tibi ipsi disidens, irreligiosum, curiosum, ac uanum nunc asseras, dicere, Deum necessario praescire? Scilicet uoluntatem immutabilem Dei praedicare esse descendam, immutabilem eius uero praescientiam nosse uetas, An tu credis, quod no-

B 5 lens pra-



lens præsciat, aut ignarus uelit? Si uolens præscit, æterna est & immobilis (quia natura) uoluntas, si præsciens uult, æterna est & immobilis (quia natura) scientia.

Ex quo sequitur irrefragabiliter, omnia quæ faci-  
mus, omnia quæ fiunt, & si nobis uidentur mutabilis-  
ter & contingenter fieri, reuera tamen, fiunt necessas-  
rio & immutabiliter, si Dei uoluntatem spectes. Vo-  
luntas enim Dei efficax est, quæ impediri non potest,  
cum sit naturalis ipsa potentia Dei, Deinde sapiens,  
ut falli non possit. Non autem impedita uoluntate,  
opus ipsum impediri non potest, quin fiat, loco, tem-  
pore, modo, mensura, quibus ipse & præuidet &  
uult. Si talis esset uoluntas Dei, quæ peracto opere  
eodemq; manente, cessaret, qualis est hominum uo-  
luntas, ubi edificata domo, quam uolunt, cessat uelle,  
ut in morte desinit, tum uere posset dici, aliquid con-  
tingenter & mutabiliter fieri, At hic contra fit, opus  
desinit & uoluntas permanet, tamen abest, ut ip-  
sum opus dum fit & permanet, contingenter esse aut  
permanere possit. Contingenter autem fieri dicitur (no-  
uocabilis abutamur) latina lingua, non ipsum opus  
contingens fieri, sed contingente & mutabili uolun-  
tate fieri, qualis in Deo non est. Deinde contingens  
opus dici non potest, nisi quod nobis contingenter &  
uelut casu imprudentibusq; nobis fit, Quia nostra  
uoluntas uel manus illud arripit uelut casu oblatum,  
ut qui



ut qui nihil de eo, aut cogitauimus, aut uoluimus  
 quia.

Sudauerunt hic sophistæ iam multis annis, & tan-  
 dem uicti, cōacti sunt concedere, Omnia quidem ne-  
 cessario fieri, necessitate consequentiæ ( ut dicunt )  
 sed non necessitate consequentis. Sic eluserunt uio-  
 lentiam istius questionis, uerum & seipsos potius il-  
 luserunt, Quam sit enim hoc nihil, non grauabor  
 ostendere. Necessitatem consequentiæ uocant, ut cra-  
 sse dicam, Si Deus aliquid uult, necesse est ut ipsum  
 fiat, sed non est necesse, ut id sit, quod fit, Solus De-  
 us enim necessario est, omnia alia possunt non esse, si  
 Deus uelit. Ita actionem Dei necessariam dicunt, si  
 uolet, sed factum ipsum non esse necessarium, Quid  
 autem istis ludibrijs uerborum efficiunt? Id scilicet,  
 facta res non est necessaria, id est, non habet essen-  
 tiam necessariam, hoc est aliud nihil dicere, quam res  
 facta non est Deus ipse, Nihilominus manet illud, ut  
 omnis res necessario fiat, si actio Dei necessaria uel  
 consequentiæ necessitas est, quantumlibet iam facta  
 non sit necessario, id est, non sit Deus, uel non habeat  
 essentiam necessariam, Si enim ego fio necessario, pa-  
 rum me mouet, quod esse meum uel fieri sit mutabile,  
 nihilominus ego ille contingens & mutabilis, qui non  
 sum Deus necessarius, fio. Quare illorum ludibrium,  
 Necessitate consequentiæ, sed non necessitate conse-  
 quentis omnia fieri, nihil aliud habet quam hoc,  
 Omnia



Omnia quidem necessario fiunt, sed sic facta, non sunt  
 ipsemet Deus, Quod uero opus erat hoc nobis dice-  
 re? quasi metuendum fuerit, ut factas res asserere-  
 mus Deum esse, uel diuinam & necessariam naturam  
 habere, Adeo stat & permanet inuicta sententia, Om-  
 nia necessitate fieri. Nec est hic ulla obscuritas aut  
 ambiguitas. In Esaiâ dicit, Consilium meum stabit &  
 uoluntas mea fiet. Quis enim puer non intelligit, quid  
 uelint hæc uocabula, Consilium, uoluntas, fiet, sta-  
 bit?

Sed cur nobis Christianis illa sunt abstrusa, ut irre-  
 religiosum & curiosum ac uanum sit, illa tractare &  
 nosse, cum talia gentiles Poeta & ipsum uulgus, usque  
 communissimo erat in ore? Quoties unus Virgilius  
 fatum memorat? Certa stant omnia lege. Item, stat sua  
 cuique dies. Item, Si te fata uocant. Item, Siquis fata  
 aspera rumpas, Nihil ille Poeta aliud facit, quam ut  
 in Troia uastata, & Romano imperio suscitando, fati-  
 tum plus ualere, quam omnium hominum studia, sig-  
 nificet, atque adeo necessitatem & rebus & hominibus  
 imponere. Denique Deos suos immortales fati sub-  
 iicit, cui necessario cedant & ipse Iuppiter & Iuno.  
 Inde finxerunt parcas illas tres, immutabiles, impla-  
 cabiles, irreuocabiles. Senserunt illi sapientes uiri,  
 id quod res ipsa cum experientia probat, nulli homi-  
 num unquam sua consilia processisse, sed omnibus aliis  
 quam cogitarunt, rem cecidisse, Si pergama potuisset  
 serui



sent dextra defendi, etiã hac defensa fuissent, ait He-  
ctor Virgilij. Inde uulgatissimum uerbum in omnium  
ore, Quod Deus uult, fiat. Item, Si uolet Deus, faci-  
emus. Item, Sic uoluit Deus, Sic placitum superis, Sic  
uoluitis, ait Virgilius, ut uideamus, in uulgo non mi-  
nus relictam esse scientiam prædestinationis & præ-  
scientiæ Dei, quam ipsam notitiam diuinitatis. Et ij  
qui sapientes uoluerunt uideri, suis disputationibus ed-  
abierunt, donec obscurato corde, stulti fierent, Ro. i.  
& negarent uel dissimularent ea, quæ Poeta & uul-  
gus, atq; ipsorummet conscientia pro usitatissimis, cer-  
tissimis & uerissimis habent.

Ultra dico, non modo quam ista sint uera, de quo  
infra latius ex scripturis dicitur, uerum etiam quam  
religiosum, pium & necessarium sit ea nosse, His enim  
ignoratis, neq; fides, neq; ullus Dei cultus consistere  
potest, Nam hoc esset uere Deum ignorare, cum quis  
ignorantia salus stare nequit, ut notum est. Si enim du-  
bitas, aut contemnis nosse, quod Deus omnia, non con-  
tingenter, sed necessario & immutabiliter præsciat &  
uelit, quomodo poteris eius promissionibus credere,  
certo fidere ac nitî? Cum enim promittit, certum oportet  
te esse, quod sciat, possit & uelit præstare, quod  
promittit, Alio qui cum non ueracem, nec fidelem æsti-  
mabis, quæ est incredulitas & summa impietas &  
negatio Dei altissimi. At quo modo certus & securus  
eris? nisi scieris illum, certo & infallibiliter & im-  
mutabiliter,



mutabiliter, ac necessario scire & uelle & facturum  
 esse, quod promittit. Neq; solum certos oportet nos  
 esse, Deum necessario & immutabiliter uelle & fa-  
 cturum, sed etiam gloriari in hoc ipso, ut Paulus  
 Roma. 3. Esto autem Deus uerax, omnis homo men-  
 dax, Et iterum, Non quod exciderit uerbum Dei,  
 Et alibi, Fundamentum Dei firmum stat, habens sig-  
 naculum hoc, Nouit dominus, qui sunt eius. Et Titus.  
 Quam promissit Deus non mendax, ante tempora sae-  
 cularia. Et Ebre. 11. Oportet accedentem credere,  
 quod Deus sit, & in se sperantibus remunerator sit.

Itaq; fides Christiana prorsus extinguitur, pro-  
 missiones Dei & uniuersum Euangelion penitus cor-  
 ruit, si doceamur & credimus, non esse nobis scien-  
 dam praescientiam Dei necessariam, necessitatemq;  
 faciendorum. Christianorum enim haec una & sum-  
 ma consolatio est in omnibus aduersitatibus, nosse,  
 quod Deus non mentitur, sed immutabiliter omnia fa-  
 cit, & uoluntati eius neq; resisti, neq; eam mutari  
 ri aut impediri posse. Tu nunc uide, Mi Erasme, quoti-  
 sum nos tua illa abstinentissima, pacis amicissima The-  
 ologia ducat? Tu auocas & uetas nos eo niti, ut praescientiam Dei & necessitatem in rebus & hominibus  
 discamus, sed consulis, talia relinquere, uitare &  
 contemnere, Qua opera tua inconsulta simul nos doc-  
 ces, ut ignorantiam Dei, quae sua sponte uenit & ag-  
 nata quoq; est, queramus, fidem contemnamus, pro-  
 missiones



missiones Dei deseramus, omnia solatia spiritus &  
 certitudines conscientiae nihili faciamus, Qualia uix  
 Epicurus ipse prescriberet, Deinde hoc non conten-  
 tus, irreligiosum, curiosum, uanumq; uocas, qui ta-  
 libus studuerit cognoscendis, religiosum uero, pium  
 ac sobrium, qui contempserit, Quid his uerbis igitur  
 aliud struis, quam Christianos esse curiosos, uanos &  
 irreligiosos? Christianismum esse rem prorsus nulli-  
 us momenti, uanam & stultam ac plane impiam. Ita  
 fit iterum, ut dum nos maxime deterrere uis à temeri-  
 tate, more stultorum in contrarium raptus, nihil doces,  
 nisi summas temeritates, impietates perditioēs. Senis  
 ne in hac parte libellū tuū esse adeo impium, blasphemum  
 ac sacrilegum, ut nullū habeat uspiam similem?  
 Non de animo tuo dico, ut supra dixi, Neq; enim  
 sic perditum te existimo, quod hęc uelis docere aut  
 fieri, ex animo, Sed ut ostenderem tibi, quanta por-  
 tentia cogatur imprudenter effutire, qui malam cau-  
 sam suscepit agendā. Deinde quid sit in diuinas res  
 & literas impingere, dum aliorum obsequio, perso-  
 nam sumimus, & inuita conscientia aliena scena ser-  
 uimus. Non est ludus neq; iocus, sacras literas &  
 pietatem docere, facillime enim hic contingit lapsus  
 ille, de quo Iacobus dicit, Qui offendit in uno, fit  
 omnium reus. Ita fit enim, ut cum modicum uideamur  
 uelle nugari, nec satis reuerēter sacras literas ha-  
 beamus, mox impietatibus inuoluamur, blasphemisq;  
 immergamur



immergātur, sicut hic tibi contigit Erasme, Dominus  
 ignoscat tibi & misereatur tui. Quod uero Sophi-  
 sta in his rebus tot questionum examina pepererunt,  
 & multa alia inutilia miscuerunt, qualia multa  
 recensentes, scimus & confitemur tecum, acriusq; insec-  
 tati sumus & magis quam tu, Sed tu imprudenter &  
 temere facis, qui puritatem sacrarum rerum mīscēs,  
 confundis, & assimilās cum prophanis & stultis  
 questionibus impiorum. Conspurcarunt illi aurum  
 & mutauerunt colorem bonum, ut Ieremias ait, sed  
 non sīmal aurum cum stercore comparandum & abij-  
 ciendum est, ut tu facis, Vindicandum aurum ab illis  
 & secernenda pura scriptura ab illorum fecibus &  
 sordibus, id quod mei semper fuit studij, ut alio loco  
 haberentur diuinae litterae, alio illorum nugae. Nec nos  
 mouere debet, quod nihil istis questionibus profectum  
 sit, nisi quod magno concordiae dispendio minus ama-  
 mus, dum plus satis uolumus sapere, Nobis non est  
 questio, quid Sophista questionarij profecerint, sed  
 quomodo nos boni & Christiani fiamus, nec debeat  
 doctrinae Christianae imputare, quod impij male  
 agunt, Ea enim nihil sunt ad propositum, & poterat  
 alio loco dicere & papyro parcere.

Tertio capite, pergis nos modestos & quietos il-  
 los Epicuros reddere, alio genere consilij, nec sanio-  
 ris, quam sunt praedicta duo. Videlicet, quod qua-  
 dam eius generis sunt, ut etiam si uera essent & sciri  
 possent,



possent, non tamen expediret ea prostituere promiscuis auribus. Et hic iterum confundis & misces omnia, more tuo, ut prophanis æques sacra, nullo pro-  
 fas discrimine, iterum lapsus in scripturæ & Dei contemptum & iniuriam. Dixi superius, Ea quæ sacris literis aut traduntur aut probantur, esse non modo aperta, sed & salutaria, ideo tuto inuulgari, disci & sciri posse, imò debere, ut falsum sit, quod dicis, non esse prostituenda promiscuis auribus, si de ijs, quæ in scriptura sunt, dicis, Nam de alijs si dixeris, nihil ad nos, nec in loco dixeris, sed uerbis chartas & tempora perdis. Deinde nosti, mihi cum Sophistis nulla in re conuenire, ut merito mihi parceres, nec eorum abusus mihi obijceres, Contra me enim in libro isto tibi dicendum erat, Scio, quid peccent Sophistæ, nec te magistro opus habeo, & satis sunt a me reprehensi, Hoc semel dictum uelim ac repetitum, quoties me Sophistis misces, & causam meam illorum insania grauas, Inique enim facis, quod optime nosti.

Iam uideamus rationes consilij tui, Deum esse secundum naturam in antro scarabei uel etiam cloaca (quod tu uereris dicere, & arguis Sophistas ita garrire) non minus quam in cælo, etiam si uerum esset, putas tamen irrationabiliter disputari apud multitudinem. Primum, garriant qui garriant, nos non de facto hominum hic disputamus, sed de iure & lege, non ut uiuamus, sed ut uiuere debeamus, Quis no-

C strum



strum ubiq; recte uluit & agit? At ideo ius & doctrina non damnatur, sed nos potius damnat. Sed tu ista peregrina longe petis, & undiq; corradis multa, quod te male habet unus ille locus, de præscientia Dei, quem cum nulla ratione potes uincere, multiloquio mani lectorem interim fatigare conaris. Sed eam illa, Ad rem redeamus. Quorsum igitur hoc tendit, ut quedam non uulganda censeas? An causam lib. arbit. inter ea numeras? Tum redibit contra te, tantum, quod supra dixi de necessitate discendi lib. arbitrij, Deinde, cur tu ipse te non sequeris & omittis diatriben tuam? Si bene facis lib. arbit. tractando, cur uituperas? Si malum est, cur facis? Si uero non inter ea numeras, iterum cause statim interim fugis, & non in loco uerbosus Orator aliena tractas.

Nec tamen recte hoc exemplum tractas, & inutiliter disputari coram multitudine damnas illud, Deum esse in antro uel cloaca, Ninis enim humana cogitas de Deo. Fateor quidem, esse quosdam leues concionatores, qui nulla religione aut pietate, sed uel cupiditate gloria, aut studio nouitatis alicuius, aut impatientia silentij leuissime garriunt ac nugantur, At ij non placent, neq; Deo, neq; hominibus, etiam si Deum asserant esse in cælo cælorum. Verum ubi graves & pij concionatores sint, qui modestis, puris & sanis uerbis docent, illi sine periculo, imò magno fructu tale coram multitudine dicunt. Nonne oportet  
nos omnes



nos omnes docere, filium Dei fuisse in utero uirginis  
 & natum ex uentre? At quantum distat uenter hu-  
 manus ab alio quouis immundo loco? Et quis non fa-  
 de ac turpiter posset illum definire? At illos merito  
 damnamus, cum abundant uerba pura, quibus eam  
 necessitatem etiam cum decore & gratia dicimus.  
 Item Christi ipsius corpus fuit humanum sicut no-  
 strum, Quo quid fædus? Num ideo non dicemus  
 Deum habitasse corporaliter in eo, quod Paulus dix-  
 it? Quid fædus morte? Quid horribilius inferno?  
 At Propheta Deum esse secum in morte & in infer-  
 no sibi adesse, gloriatur.

Igitur pius animus non exhorret audire, Deum esse  
 in morte, uel in inferno, quorum utrumq; horribilius  
 ac fædus est antro uel cloaca, imò cum scriptura teste  
 tur Deum esse ubiq; & replere omnia, non solū dicit  
 eum esse in locis illis, uerū necessario discet & noscet  
 eum ibi esse. Nisi forte, si quis per tyrannum captus in  
 carcerem aut in cloacam proieceret, quod multis san-  
 ctis contigit, non mihi licebit, Deum ibi inuocare, uel  
 credere mihi adesse, donec uenero in templum aliquod  
 ornatum. Si ita nugandū de Deo nos docueris, & lo-  
 cis essentiæ eius offenderis, nec in cælo cum nobis resi-  
 dere tandē permittes, neq; enim cæli cælorū eum ca-  
 piunt, neq; digni sunt. Verum ut dixi, more tuo, sic odi-  
 ose pungis, ut causam nostram graues & exosam red-  
 das, quod uideres eam tibi insuperabilē & inuictam.

C z Alterum



Alterum exemplum, tres esse Deos, fateor esse offendiculo, si doceatur, nec est uerum, nec scriptura agere, Sed Sophistæ sic loquuntur, & nouam Dialecticam finxerunt, Verum hæc quid ad nos?

Reliquum de confessione & satisfactione, mirum est, quam felici prudentia causeris, & ubiq; sicut soles, super aristas graderis, ne uideare nec nostra simpliciter damnare, nec Pontificum tyrannidem offendere, id quod tibi minime tutum est, Itaq; sepositis interim Deo & conscientia (Quid enim ad Erasmus, quid ille in his rebus uelit, & quid huic expediat) in laruam externam ruis, & uulgas accusas, quod prædicatione liberæ confessionis & satisfactionis, pro sua malicia abutitur in libertatem carnis. Necessitate uero confitendi (ut dicis) utcumq; cohibetur, O præclara & egregia ratio. Hoc cine est Theologiam docere? Animas ligare legibus & (ut Ezechiel dicit) mortificare, quæ ligatæ non sunt a Deo? Scilicet hac ratione nobis suscitatis uniuersam tyrannidem Pontificiarum legum, tanquam utilem & salutarem, quia & illis quoq; cohibetur uulgi malicia, Sed nolo inuehi, quemadmodum meretur hic locus, Rem breuiter dicam, Bonus Theologus sic docet, Vulgos coercendum est externa ui gladij, ubi male egerit, sicut Paulus docet Roma. 13. Non autem conscientia eorum falsibus legibus irretiendæ sunt, ut peccatis diuexentur, ubi peccata nõ esse Deus uoluit, Solius enim  
Dei



Dei precepto conscientia ligantur, ut media illa tyrannus Pontificum, quæ falso terret & occidit animas intus, & foris frustra fatigat corpus, è medio prorsus tollatur, Quia & si foris cogit ad confessionem aliâq; onera, tamen per hæc animus non cohibetur, sed magis exasperatur ad odium Dei & hominum, & frustra in externis excarnificat corpus, facitq; meros hypocritas, ita ut legum eiusmodi tyranni aliud non sint, quam lupi rapaces, fures & latrones animarum, Et hos tu bonus animarum consul, nobis commendas rursus, hoc est, auctor es crudelissimorum homicidarum, ut mundum hypocritis, Deum blasphemantibus & contemnentibus in corde repleant, ut foris in modico coerceantur, quasi alius modus coercendi non sit, qui nullos hypocritas facit, & sine conscientiarum perditione sit, ut dixi.

Hic allegas similitudines, quibus uis abundare & aptissime uti uideri, Esse scilicet morbos, qui minore malo tolerantur, quam tollantur, ut lepra &c. Item addis exemplum Pauli, qui discreuerit inter ea, quæ licent & quæ expediunt, Licet (inquis) uerum dicere, uerum non expedit, apud quosuis, nec quolibet tempore, nec quouis modo. Quam copiosus Orator, nihil tamen intelligens quid loquaris, In summa, sic agis causam hanc, quasi res tibi mecum esset, de periculo pecuniæ reperabilis, aut alterius cuiuspiam rei leuissimæ, cuius dispendio, tanquam longe uilioris,



quàm sit externa illa pax, non debeat ullus adeo moueri, quin cedat, faciat, patiat, pro loco, ne sit tumultuari necesse sit mundum. Plane igitur significas, pacem istam & tranquillitatem carnis tibi longe præstantiorem uideri quàm fidem, quàm conscientiam, quàm salutem, quàm uerbum Dei, quàm gloriam Christi, quàm Deum ipsum. Ideo dico tibi, atq; hoc sensibus imis reponas oro, Mihi rem seriam & necessariam, eternamq; in hac causa peti, talem ac tantam, ut eam assertam & defensam oporteat per mortem quoq; etiam si mundus totus non solum confictari & tumultuari debeat, uerum etiam in unum cahos rueret & in nihilum redigi. Hec si tu non capis uel non afficeris, tuam rem age, & sine illos capere & affici, quibus Deus dedit.

*Ita*

*Malim est  
hominem  
munda que  
diuina  
deq*

Neq; enim ego, Dei gratia, tam stultus & insanus sum, qui ob pecuniam, quam nec habeo nec cupio, aut ob gloriam, quam si uellem, non possem in mundo sic mihi in seculo, obtinere, aut ob uitam corporis, que nullo momento mihi certa esse potest, tanto animo, tanta constantia, quam tu per uicaciam uocas, per tot pericula uitæ, per tot odia, per tot insidias, breuiter, per furias hominum & demonum, hanc causam tam diu agere & sustinere uellem. An tibi soli putas esse cor, quod istis tumultibus commouetur? Nec nos facti sumus, aut ex Marpesijs cauitibus nati, Sed quando aliter fieri non potest præcligimus temporali tumultu collidi,



solidi, hilares in gratia Dei, ob uerbum Dei, in-  
 uicō & incorruptibili animo asserendum, quā aet-  
 no tumultu, sub ira Dei, cruciatu intollerabili conte-  
 ri. Christus faxit, ut animus tuus talis non sit, sicut  
 opo & spero, certe uerba tua sic sonant, quasi cum  
 Epicuro fabulas esse putes, uerbum Dei & futuram  
 uitam, dum magisterio tuo nobis auctor esse uis, ut  
 gratia Pontificum & Principum uel pacis huius, cer-  
 tissimum uerbum Dei pro loco intermittamus & ceda-  
 mus, quo intermisso, Deum, fidem, salutem & om-  
 nia Christiana intermittimus, quanto rectus Christus  
 nos monet, ut potius totum mundum contemnamus.

Tu dicis uero talia, quod non legis uel non obser-  
 uas, hanc esse fortunam constantissimam uerbi Dei,  
 ut ob ipsum mundus tumultuetur, Idq; palam asserit  
 Christus, Non ueni (inquit) pacem mittere, sed gladi-  
 um, Et in Luca, Ignem ueni mittere in terram. Et Pau-  
 lus .i. Corinth. 6. In seditionibus & c. Et Propheta  
 Psalmo secundo idem copiose testatur, asserens tu-  
 multuari gentes, fremere populos, insurgere reges,  
 conspirare Principes aduersus dominum & aduer-  
 sus Christum eius, quasi dicat, multitudo, altitudo,  
 opes, potentia, sapientia, iustitia & quicquid est sub-  
 lime in mundo, sese opponit uerbo Dei. Vide in actis  
 Apostolorum, quid accidat in mundo, ob unius Pauli  
 ( ut alios Apostolos taceam ) uerbum, quā

C 4 unus ille



unus ille & gentes & Iudæos commouet, seu ut ibi-  
dem ipsimet hostes dicunt, totum orbem conturbat.  
Sub Elia turbatur regnum Israel, ut rex Ahab queri-  
tur, Quantus tumultus fuit sub alijs Prophetis? dum  
omnes occiduntur uel lapidantur, dum Israel ducitur  
captiuus in Assyrios, item dum Iuda in Babylonem,  
Heccine pax fuit? Mundus & Deus eius, uerbum  
Dei ueri ferre non potest, nec uult, Deus uerus tace-  
re nec uult nec potest, quid iam illis duobus Dijs bel-  
lantibus, nisi tumultus fieret in toto mundo?

*De tumultu  
fuerit*

Hos igitur tumultus uelle sedare, aliud nihil est,  
quàm uelle uerbum Dei tollere & prohibere. Ser-  
mo enim Dei uenit mutaturus & innouaturus orbem,  
quoties uenit, At etiam gentiles scriptores testantur,  
mutationes rerum, sine motu & tumultu, imò sine san-  
guine fieri non posse. Christianorum iam est, hæc  
presenti animo expectare & ferre, sicut Christus  
dicit, Cum audieritis prælia & rumores præliorum,  
nolite terreri, oportet primum hæc fieri, sed nondum  
statim finis. Et ego, nisi istos tumultus uiderem, uer-  
bum Dei in mundo non esse dicerem, Nunc cum uide-  
am, gaudeo ex animo & contemno, certissimus, quod  
Pape regnum cum suis adherentibus ruiturum sit, nam  
hoc inusit potissimum sermo Dei, qui nunc currit.  
Video sane te, Mi Erasme, in multis libris queri de  
istis tumultibus, de amissa pace & concordia, Deme-  
de multa conaris, ut medearis, bono (ut equidem cre-  
do) animo



do) animo, sed ridet medicas tuas ista podagra ma-  
nus, hic enim uere, quod dicis, contra fluiuium nauis  
gas, imò stipula incendium restinguis. Desine queri,  
desine mederi, tumultus ille diuinitus & ortus est &  
geritur, non desiturus, donec ut lutum platearum red-  
dat omnes aduersarios uerbi, Quamquam dolendum  
est, ut opus sit te tantum Theologū, ista moneri quasi  
discipulum, qui aliorum magister esse debueras.

Huc igitur tua pertinet gnome satis pulchra, mor-  
bos quosdam minore malo tolerari quam tolli, qua tu  
non uteris apposite, Morbos tolerabiles minore ma-  
lo, dicit, tumultos istos, motus, turbationes, seditio-  
nes, sectas, discordias, bella & siqua talia sunt, qui-  
bus propter uerbum Dei totus concutitur & colliditur  
orbis, hæc inquam minore malo, cum sint tempora-  
lia, tolerantur, quam ueteres & mali mores, quibus  
neesse est omnes animas perire, nisi uerbo Dei mu-  
tarentur, quo sublato, æterna bona, Deus, Christus,  
spiritus tollerentur. Quanto uero præstat, mundum  
amittere, quam Deum creatorem mundi, qui innume-  
rabiles mundos creare denuo potest? & infinitis mun-  
dis melior est? Quæ enim comparatio temporalium  
ad æterna? Hæc igitur lepra potius est ferenda tempo-  
ralium malorum, quam ut trucidatis omnibus anima-  
bus æternaliterq; damnatis, mundus ab his tumultibus,  
illarum sanguine & perditione, pacaretur & cura-  
retur, cum una anima totius mundi precio redimi ne-

C 5 queat.

*Signum  
Johns al  
linea*



qucat. Bellas habes & egregias similitudines & gnomas, sed cum in rebus sacris agis, pueriliter, imò peruerse applicas, humi enim reptas, & nihil super humanum captum cogitas. Non enim puerilia negociuina, uel humana sunt, quæ Deus operatur, sed diuina, quæ captum humanum excedunt, Velut hos tumultus & sectas, non uides diuino consilio & opere per mundum grassari, & metuis, ne cælum ruat, Ego uero, Deo gratia, bene uideo, quia alios maiores in futuro sæculo uideo, quorum comparatione, isti, uelut tenuis auræ sibilus esse uidentur, aut lenis aquæ sursurus.

At dogma de confessionis & satisfactionis libertate, uel negas, uel nescis esse uerbum Dei, Hæc alia questio est, Nos tamen scimus & certi sumus, esse uerbum Dei, quo libertas Christiana asseritur, ne traditionibus humanis & legibus sinamus nos illaqueari in seruitutem, Quod alias abunde docuimus, & si uoles experiri, parati sumus & tibi dicere uel conserere manus, Extant nostri libelli super his rebus non pauci. At simul in charitate iuxta toleranda & seruanda leges Pontificum, si sic forte, sine tumultu constare possit & aterna salus per uerbum Dei & pax mundi. Dixi supra, fieri id non posse, Princeps mundi Papam & Pontifices suos non sinit eorum leges libere seruari, sed conscientias captare & ligare in animo habet, Hoc Deus uerus ferre non potest.

Ita impli-



Ita implacabili discordia, uerbum Dei & traditiones  
 hominum pugnant, non aliter atq; Deus ipse & satan  
 sibi inuicem aduersantur, & alter alterius opera dissol-  
 uit & dogmata subruit, tanquam si duo reges alter alte-  
 rius regnū populetur, Qui non est mecū, ait Christus,  
 contra me est. Quod uero metus sit, multos, qui ad fla-  
 gicia proni sunt, abusuros ealibertate, Hoc referetur  
 ad tumultus illos, tanquā pars lepræ istius temporalis  
 tolerandæ & mali ferendi, Nec tanti habendi sunt, ut  
 propter ipsorum abusum cohibendum, uerbū Dei tol-  
 latur. Si non omnes seruari possunt, aliqui tamē seruan-  
 tur, propter quos uerbum Dei uenit, hi amant eo fer-  
 uentius & consentiunt sanctius. Quid enim malorū et  
 antea non fecerunt impij homines, cum nullum uerbum  
 esset? imò quid boni fecerunt? An non semper mundus  
 bello, fraude, uiolentia, discordia & omnibus sceleri-  
 bus inundauit? ita ut Micheas optimū inter eos, spina  
 comparet, quid putas reliquos uocaret? Nunc uero  
 uenienti Euangelio imputari incipit, quod mundus  
 malus sit, cum uerius Euangelio bono elucescat, quam  
 malus fuerit, dum sine Euangelio in tenebris suis age-  
 ret. Sic illiterati literis trubuant, quod illis florenti-  
 bus eorū inscitia innotescit, Hæc est gratia, quam re-  
 pendimus uerbo uitæ & salutis. Quantum uero puta-  
 mus fuisse timorem apud Iudeos, cum Euangelion  
 absolueret omnes à lege Mosi? Quid hic libertas  
 tanta non uidebatur permissura malis hominibus?  
 At propte-



At propterea non est omissum Euangelion, sed impij relictum, pijs uero dictum, ne in occasionem carnis concederent libertatem.

Nec ista pars consilij uel remedij tui ualet, ubi dicitis, Licet uerum dicere, sed non expedit apud quoslibet, nec quouis tempore, nec quouis modo, Et satis inepte Paulum adducis, ubi dicit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non enim Paulus de doctrina aut docenda ueritate ibi loquitur, sicut tu eius uerba confundis & trahis quo libet, quin ueritatem ille uult ubiq;, quouis tempore, quouis modo dici, ita ut etiam gaudeat Christum predicari per occasionem & inuidiam, palamq; testetur ipso uerbo, Quouis modo Christus predicetur, sese gaudere. Paulus loquitur de facto & usu doctrinae, nempe de libertatis Christianae iactatoribus, qui sua querentes, scandalisationem & offensionis infirmorum, nullam habebant. Veritas & doctrina semper, palam, constanter predicanda, nunquam obliquanda, caelandae est, nullum est enim in ea scandalum, Est enim uirga rectitudinis. Et quis tibi fecit potestatem aut ius dedit, doctrinae Christianae locis, personis, temporibus, causis, alligandae, cum Christus eam uelit liberrimam in orbe uulgari & regnare? Non est enim uerbum Dei alligatum, ait Paulus, Et Erasmus uerbum alligabit? Nec dedit nobis Deus uerbum, quod locorum, personarum, temporum delectum habeat, cum dicat Christus,



Itē in uniuersum mundum, non ait, Itē aliquo & aliquo non, sicut Erasmus. Item, Prædicatē Euangeliōn omni creaturæ, non ait, apud aliquos, apud aliquos non, Summa, tu nobis profopolepsias, topolepsias & tropolepsias, Charolepsias in uerbo Dei ministrando præscribis, cum una hæc sit magna pars gloriæ uerbi, quod nulla est (ut Paulus ait) Profopolepsia, & Deus personas non respicit. Vides iterum, quam temere irruas in uerbum Dei, quasi tuas cogitationes & consilia longissime illi præferas.

Iam si à te petamus, ut discernas nobis tempora, personas & modos dicendi ueri, quando desines? ante suum clauso componet tempore finem, mundus, quam tu unam regulam certam statueris, Vbi interim manet docendi officium? ubi animæ docende? Et quomodo posses? qui nec personarum, nec temporum, nec modorum rationem ullam noris, Ac si maxime noris, hominum corda tamen non nosti, Nisi is sit tibi modus, hoc tempus, hæc persona, ut sic doceamus uerum, ne Papa indignetur, ne Cæsar irascatur, ne moueantur Pontifices & Principes, tum ne tumultus & motus fiant in orbe, ne multi offendantur & peiores fiant, Hoc quale sit consilium, supra uidisti, Sed libuit ita uerbis inutilibus rhetoricari, ne nihil diceres. Quanto igitur nos miseri homines, Deo hanc tribueremus gloriam, qui omnium corda nouit, ut ipse, dicendi ueri modum, personas & tempora præscriberet,



scriberet, Ipse enim nouit, quid, quando, quomodo, cuiq; dicendum sit, Nunc uero sic prescripfit, ut Euangelion suum omnibus necessarium, nullo loco, nullo tempore prescriberetur, sed apud omnes, omni tempore, omni loco predicaretur, Et supra probaui ea que in scripturis prodita sunt, talia esse, que omnibus exposita & inuulganda necessario & salubria sunt, sicut & in tua Paraclesi, meliore tunc quam nunc, consilio, ipse statuisti. Hi qui animas redemptas nolunt, sicut Papa cum suis, illorum esto, uerbum Dei alligare, & homines uita & regno caelorum prohibere, ne ipsi intrent, nec alios intrare sinant, quorum furori tu Erasme hoc consilio tuo perniciose inseruis.

*Verba non  
omittenda*

Eadem prudentia est, qua deinde consulis, non debere profiteri, si quid perperam in consilijs esset definitum, ne ansa contemnendi preberetur auctoritatem patrum, Hoc scilicet Papa uoluit a te dici, & audit libentius quam Euangelion, ingratis tuis, si te cardinali pileo cum censibus non rursus honorarit. Sed interim Erasme, quid facient anime, iniquo illo statuto ligata & occise? Nihil hoc ad te? Verum tu perpetuo sentis uel fingis te sentire, humana statuta possit a periculo, iuxta purum uerbum Dei seruari, Quod si possent, facile pedibus in tuam hanc sententiam irem. Si itaq; ignoras, iterum dico, humana statuta non possunt seruari cum uerbo Dei, Quia illa ligant conscientiam



conscientias, hoc soluit eas, pugnantq; sibi mutuo, sicut aqua & ignis, nisi libere, id est, ut non ligantia, seruentur, id quod Papa non uult, nec potest uelle, nisi perditum & finitum regnum suum uolet, quod constat non nisi laqueis & uinculis conscientiarum, quas Euangelion liberat asserit. Igitur patrum auctoritas susq; deq; facienda est, & statuta perperam lata, qualia sunt omnia præter uerbun Dei definita, dirumpenda & proijcienda sunt, Christus enim patrum auctoritate potior est. Summa, Si de uerbo Dei sic sentis, impie sentis, si de alijs, nihil ad nos uerbosa disputatio consilij tui, Nos de uerbo Dei disputamus.

Vltima parte præfationis, serio nos deterrens ab isto genere doctrina, arbitraris penè uictoriam tibi partam, Quid (inquis) inutilius, quam hoc paradoxon euulgari mundo, Quicquid fit à nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri? Et illud Augustini, Deum operari bona & mala in nobis, sua bona opera remunerare in nobis, & sua mala opera punire in nobis. Diues hic es in reddenda uel potius exostulanda ratione, Quantam (inquis) fenestram uulgo hæc uox prodita mortalibus aperiret ad impietatem? Quis malus corriget uitam suam? Quis credet se amari à Deo? Quis pugnabit cū carne sua? Miror, quod in tanta uehementia & contentione nõ etiã causæ memineras & dixeris, Vbi tū manebit lib. arbitrium? Mi Erasme,

Iterum



Iterum & ego dico, si hæc paradoxa, ducis hominum esse inuenta, quid contendis? quid æstuas? contra quem dicis? an est ullus in orbe hodie, qui uehementius hominum dogmata sit insectatus quam Lutherus? Igitur nihil ad nos ista monitio. Si autem Dei uerba esse credis ea paradoxa, ubi est frons tua? ubi pudor? ubi, non dico iam modestia illa Erasmi, sed timor & reuerentiã Deo uero debita? qui dicis, nihil inutilius dici posse hoc uerbo Dei? Scilicet, Creator tuus à te creatura sua discet, quid utile & inutile sit prædicatu, ac stultus ille uel imprudens Deus hæcenus nescierit, quid doceri oporteat, donec tu magister eius, modum illi præscriberes sapiendi & mandandi, quasi ipse ignorasset, nisi tu docuisses, sequi ad hoc paradoxon, quæ tu inferis. Si igitur Deus talia uoluit palam dici & inuulgari, nec spectari, quid sequeretur, tu quis es, qui uetes? Paulus Apostolus in Epistola ad Rom. non in angulum, sed in publicum ac coram toto mundo, liberrimo ore, eadem, etiam durioribus uerbis palam dissemit, dicens, Quos uult, indurat. Et iterum, Deus uolens notam facere iram suam &c. Quid durius (sed carni) illo Christi uerbo, Multi uocati, pauci electi? Et iterum, Ego scio, quos elegerim, Scilicet hæc omnia talia sunt, te authore, ut nihil possit inutilius dici, quod uidelicet hinc ad desperationem & odium & blasphemiam prolabantur homines impij.

Hic, ut



Hic, ut uideo, scripturæ ueritatem et utilitatem pen-  
 sandam & iudicandam esse censes, secundum sensum  
 hominum, eorumq; non nisi impiissimorum, ut quod  
 illis placuerit uel tolerabile fuerit uisum, id demum  
 uerum, id diuinum, id salutare sit, Quod contra, id  
 mox inutile, falsum & perniciosum. Quid hoc consi-  
 lio queris, nisi ut uerba Dei, pendeant, stem, cadentq;  
 arbitrio & autoritate hominum? Cum contra  
 scriptura dicat, arbitrio Dei & autoritate, stare,  
 cadere omnia, deniq; à facie domini silere omnem ter-  
 ram. Sic loqui deberet, qui Deum uiuum imagina-  
 retur nihil esse, nisi leuem & imprudentem aliquem  
 rabulam in aliquo suggesto declamantem, cuius uerba  
 liceat, si uelis, quorsum libuerit, interpretari, accep-  
 tare, refutare, secundum quod uideret, impios ho-  
 mines illis moueri uel affici. Plane hic produs, Mi  
 Erasme, quam ex animo superius uenerandam diuino-  
 rum iudiciorum maiestatem, sua seris, Vbi cum de  
 scripturæ dogmatibus ageretur, & nihil opus esset,  
 abstrusa & occulta reuereri, eo quod nulla sint talia,  
 satis religiosi uerbis, nobis Coricis specus intermi-  
 nabas, ne irrumperemus curiose, ut metu penè ab uni-  
 uersa scriptura legenda absterreret, ad quam legen-  
 dam sic urgent & suadent Christus & Apostoli, atq;  
 tu ipse alibi. Hic uero ubi non ad scripturæ dogmata  
 nec ad Coricium specum solum, sed reuera ad reue-  
 renda maiestatem diuinæ secreta peruentum est, nem-  
 D pe, cur

*Rabula  
 & ratiuarum*



pe, cur sic operetur, ut dictum est, ibi ruptis repa-  
 gulis, irruis tantum non blasphemans, quid non in-  
 dignationis ostendis erga Deum, quod talis iudicij sui  
 consilium & rationem non licet uidere? Cur hic non  
 etiam obscuritates & ambiguitates prætexas? Cur non  
 ab inquirendis illis contines ipse & absterres alios,  
 quæ Deus occulta nobis esse uoluit, & scripturis non  
 prodidit? Hic oportuit os digito compescere, reuer-  
 reri quod lateret, adorare secreta maiestatis consilia,  
 & cum Paulo clamare, O homo, tu quis es, qui com-  
 tendas cum Deo?

Quis, inquis, studebit corrigere uitam suam? Re-  
 spondeo, nullus hominum, neq; etiam ullus poterit,  
 nam correctores tuos sine spiritu Deus nihil moratur,  
 cum sint hypocrita, Corrigentur autem electi & pii  
 per spiritum sanctum, Cateri incorrecti peribunt,  
 Neq; enim Augustinus dicit nullorū, aut omnium ope-  
 ra bona coronari, sed aliquorum, ideo non erunt  
 nulli, qui corrigant uitam suam. Quis credet (in-  
 quis) a Deo se amari? Respondeo. Nullus hominum  
 credet, neq; poterit, electi uero credent, cateri non  
 credentes peribunt, indignantes & blasphemantes,  
 sicut tu hic facis, Non igitur nulli erunt, qui credent.  
 Quod uero his dogmatibus fenestra aperitur ad im-  
 pietatem, esto, illi pertineant ad lepram superius dic-  
 tam, tolerandi mali, Nihilominus simul eisdem aperi-  
 tur porta ad iustitiam & introitus ad cælum & uia  
 ad Deum



31  
ad Deum, pro pijs & electis. Quod si tuo consilio,  
istis dogmatibus abstinuerimus, et hominibus uerbum  
hoc Dei absconderimus, ut unusquisq; falsa persuasi-  
one salutis illusus, Deum non discretet timere & humi-  
liari, ut per timorem tandem ad gratiam & amorem  
ueniret, tum pulchre clauserimus fenestram tuam, ue-  
rum loco eius aperiremus nobis & omnibus ualuas,  
imò hiatus & uoragines, non modo ad impietatem, sed  
ad inferni profunda, Sic ipsi nec intraremus in cœ-  
lum, tum alios intrantes prohiberemus.

Quæ igitur utilitas aut necessitas talia inuulgandi,  
cū tot mala uideantur inde prouenire? Respondeo, sa-  
tis erat quidē dicere, Deus uoluit ea uulgari, uolunta-  
tis uero diuinæ rationē querendā nō esse, sed simplici-  
ter adorandā, data gloria Deo, quod cum sit iustus &  
sapiens solus nulli faciat iniuriam, nec stulte aut teme-  
re quippiā agere possit, licet nobis longe secus appa-  
reat, hac responsione pijs sunt contenti. Tamen ut ex  
abundantia supererogemus, Dæ res exigunt talia præ-  
dicari, Prima est humiliatio nostræ superbiæ et cogni-  
tio gratiæ Dei, Altera ipsa fides Christiana. Primū, De-  
us certo promissit humiliatis, id est, deploratis et de-  
speratis, gratiā suā. Humiliari uero penitus nō potest  
homo, donec sciat, prorsus extra suas uires, cōsilia, stu-  
dia, uoluntatem, opera, omnino ex alterius arbitrio,  
consilio, uoluntate, opere suam pendere salutem, nem-  
pe Dei solius, Siquidem, quā diu persuasus fuerit,  
D z sese uel

*Nota*

*Quod dicit*



fese uel tantulum posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, ideo non humiliatur coram Deo, sed locum, tempus, opus aliquod sibi praesumit uel sperat uel optat saltem, quo tandem perueniat ad salutem. Qui uero nihil dubitat, totum in uoluntate Dei pendere, is prorsus de se desperat, nihil eligit, sed expectat operantem Deum, is proximus est gratiae, ut saluus fiat. Itaque propter electos ista uulgantur, ut isto modo humiliati & in nihilum reducti, salui fiant, Ceteri resistunt humiliationi huic, imò damnant doceri hanc desperationem sui, aliquid uel modiculum sibi relinqui uolunt, quod possint, Hi occulte manent superbi & gratiae Dei aduersarij. Hec est inquam una ratio, ut pij promissionem gratiae humiliati cognoscant, inuocent & accipiant.

Altera est, Quod fides est rerum non apparentium, ut ergo fidei locus sit, opus est, ut omnia, quae creduntur, abscondantur, Non autem remotius absconduntur, quam sub contrario obiectu, sensu, experientia. Sic Deus dum uiuificat, facit illud occidendo, dum iustificat, facit illud reos faciendo, dum in caelum uehit, facit id ad infernum ducendo, ut dicit scriptura, Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit .i. Reg. 2. de quibus nunc non est locus prolixius dicendi, Qui nostra legerunt, habent haec sibi uulgatissima. Sic eternam suam clementiam & misericordiam abscondit sub eterna ira, iustitiam



fiduciam sub iniquitate. Hic est fidei summus gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos saluat, tam multos damnat, credere iustum, qui sua uoluntate nos necessario damnabiles facit, ut uideatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum & odio potius quam amore dignus. Si igitur possem ulla ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors & iustus, qui tantam iram & iniquitatem ostendit, non esset opus fide, Nunc cum id comprehendere non potest, fit locus exercendae fidei, dum talia predicantur & inuulgantur, non aliter, quam dum Deus occidit, fides uitae in morte exercetur, Hac nunc in praefatione satis.

Hoc modo rectius disputantibus in istis paradoxis consulitur, quam tuo consilio, quo per silentium & abstinentiam, uis illorum impietati consulere, Quo tamen nihil proficis, Nam si uel credas uel suspiceris esse uera (cum sint non parui momenti paradoxa) quae est mortalium insaturabilis cupido, scrutandarum secretarum rerum, tum maxime, cum maxime occultatas uolumus, facies hac monitione tua euulgata, ut multo magis nunc uelint omnes scire, an uera sint ea paradoxa, scilicet, tua contentione accensi, ut nullus nostrum haecenus tantam ansam praestiterit ea uulgandi, quantam tu, hac religiosa & uehementi monitione, Prudentius multo fecisses, si prorsus tacuisses de his paradoxis cauendis, si uotum tuum ratum

D 3 uoluisses,



uoluisse, Actum est, postquam non prorsus nega  
esse uera, occultari non poterunt, sed suspitione ueri-  
tatis omnes ad sese inuestiganda allicient, Vel ergo  
nega illa esse uera, uel tu prior tace, si alios tacere  
uoles.

*Aliter  
psum vel  
rimy*

Alterum paradoxon, Quicquid fit a nobis, non  
arbitrio libero, sed mera necessitate fieri, breuiter mi-  
deamus, ne perniciosissimum dici patiamur. Hic sic  
dico, Vbi id probatum fuerit, extra uires & consi-  
lia nostra, in solius opere Dei pendere salutem non  
stram, quod infra in corpore disputationis spero me  
euiturum, nonne clare sequitur, dum Deus opere  
suo in nobis non adest, omnia esse mala, quae faciunt  
& nos necessario operari, quae nihil ad salutem ual-  
lent? Si enim non nos, sed solus Deus operatur salu-  
tem in nobis, nihil ante opus eius operamur salutare,  
uelimus, nolimus. Necessario uero dico, non coacte,  
sed ut illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non co-  
actionis, hoc est, homo cum uacat spiritu Dei, non  
quidem uiolentia, ue'ut raptus obtorto collo, nolens  
facit malum, quemadmodum fur aut latro nolens ad  
penam ducitur, sed sponte & libenti uoluntate facit,  
Verum hanc libentiam seu uoluntatem faciendi, non  
potest suis uiribus omittere, cohercere aut mutare,  
sed pergit uolendo & lubendo, etiam si ad extra co-  
gatur aliud facere per uim, tamen uoluntas intus ma-  
net auersa, & indignatur cogenti aut resistenti, Non  
autem



autem indignaretur, si mutaretur, ac uolens uim se-  
queretur. Hoc uocamus modo necessitatem immutabi-  
lilitatis, id est, quod uoluntas sese mutare & uerte-  
re aliò non possit, sed potius irriteretur magis ad uolen-  
dum, dum ei resistitur, Quod probat eius indignatio,  
Hoc non fieret, si esset libera uel haberet liberum ar-  
bitrium. Interroga experientiam, quàm sint imper-  
susceptibiles, qui affecti aliqua re harent, Aut si cedunt,  
ut uel maiore alterius rei comodo cedunt, nunquam  
libere cedunt, Si autem affecti non sunt, sinum ire &  
fieri, quacumq; eunt ac fiunt.

Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur,  
mutata & blande asibilata per spiritum Dei uolun-  
tas, iterum mera lubentia & pronitate ac sponte sua  
uult & facit, non coacte, ut nullis contrarijs mutari  
in aliud possit, ne portis quidem inferi uinci aut cogi,  
sed pergit uolendo & lubendo & amando bonum,  
sicut antea uoluit & lubuit & amauit malū. Quod ite-  
rū probat experientia, quàm inuicti et constantes sint  
uiri sancti, dum per uim ad alia coguntur, ut magis in-  
de irriterentur ad uolendū, sicut ignis a uento magis in-  
flāmatur quàm extinguitur, ut nec hic sit ulla libertas  
uel liberum arbitrium, aliò sese uertendi, aut aliud  
uolendi, donec durat spiritus & gratia Dei in ho-  
mine. Summa, si sub Deo huius seculi sumus, sine  
opere & spiritu Dei ueri, captiui tenemur ad ipsius  
uoluntatem, ut Paulus ad Timo. dicit, ut non possumus  
D 4 uelle,



uelle, nisi quod ipse uelit, Ipse enim fortis est ille cr-  
 matus, qui atrium suum sic seruat, ut in pace sint  
 quos possidet, ne ullum motum aut sensum contra eum  
 concitent, alioqui regnum Satane in se diuisum, non  
 staret, quod tamen Christus affirmat stare, idq; facia-  
 mus uolentes & lubentes, pro natura uoluntatis, quae  
 si cogeretur, uoluntas non esset, Nam coactio, potius  
 est (ut sic dicam) Noluntas. Si autem fortior super-  
 ueniat, & illo uicto, nos rapiat in spoliū suum, rursus  
 per spiritum eius serui & captiui sumus (quae tam-  
 en regia libertas est) ut uelimus & faciamus luben-  
 tes, quae ipse uelit. Sic humana uoluntas in medio po-  
 sita est, ceu iumentum, si insederit Deus, uult & uadit,  
 quo uult Deus, ut Psalmus dicit, Factus sum sicut  
 iumentum & ego semper tecum. Si insederit Satana,  
 uult & uadit, quo uult Satana, nec est in eius arbitrio,  
 ad utrum sessorem currere aut eum querere, sed ipsi  
 sessores certant ob ipsum obtinendum & possiden-  
 dum.

Quid si ex tuis ipsius uerbis, quibus libe. arbi-  
 t. asseris, probauiero, nullum esse liberum arbitrium?  
 ut conuincam, te imprudenter negare, quod tanta  
 prudentia conaris affirmare, plane nisi hoc fecero,  
 iuro, ut reuocata sint omnia, quae contra te hoc toto  
 libello seribo, & confirmata, quae contra me tua Dia-  
 tribe tum asserit tum querit. Tu liberi arbitrij uim,  
 modiculam & talem facis, quae citra gratiam Dei,  
 prorsus



prorsus sit inefficax, Nonne agnoscis? Iam quero  
 & peto, si gratia Dei desit, aut separetur ab illa ui  
 modicula, quid ipsa faciet? Inefficax (inquis) est &  
 nihil facit boni, Ergo non faciet, quod Deus aut gra-  
 tia eius uolet, Siquidem gratiam Dei separatam ab ea  
 iam posuimus, Quod uero gratia Dei non facit, bo-  
 num non est, Quare sequitur, lib. arbit. sine gratia  
 Dei prorsus non liberum, sed immutabiliter captiuum  
 & seruum esse mali, cum non possit uertere se solo  
 ad bonum. Hoc stante, dono tibi, ut uim lib. arbi. non  
 modo facias modiculam, fac eam angelicam, fac, si po-  
 tes, plane diuinam, si adieceris tamen hanc illatabilem  
 appendicem, ut citra gratiam Dei, inefficacem di-  
 eas, mox ademeris illi omnem uim, Quid est uis ineffi-  
 cax, nisi plane nulla uis? Itaq; dicere, lib. arbi. esse,  
 & habere uim quidem, sed inefficacem, est id, quod  
 Sophistæ uocant, oppositum in adiecto, ac si dicas  
 liberum arbitrium est, quod liberum non est, Sicut,  
 si ignem frigidum & terram calidam dixeris, Habe-  
 at sane ignis uim caloris, uel infernalis, si non ardet  
 neq; urit. friget uero & frigefacit, ne ignis quidem,  
 multo minus calidus mihi dicetur, nisi pictum aut fictū  
 ignem uolueris habere. At si uim lib. arb. eam dice-  
 remus, qua homo aptus est rapi spiritu & imbui gra-  
 tia Dei, ut qui sit creatus ad uitam uel mortem eter-  
 nam, recte diceretur, hanc enim uim, hoc est, aptitu-  
 dinem, seu ut Sophistæ loquuntur dispositiuam quali-  
 tatem



tatem & passiuam aptitudinem, & nos confitemur,  
quam non arboribus, neq; bestijs inditam esse, quis  
est, qui nesciat? neq; enim pro anseribus (ut dicitur)  
coelum creauit.

Fixum ergo stat, etiam tuo ipsius testimonio, Nos  
omnia necessitate, nihil arbi. libe. facere, dum uis lib.  
arbi. nihil est, neq; facit, neq; potest bonum, absente  
gratia, Nisi efficaciam uelis noua significatione dicere,  
perfectionem, quasi lib. arb. incipere quidem ac uelle  
possit, sed non perficere, quod non credo, Ac postea  
de hac re latius. Sequitur nunc, lib. arb. esse plane  
diuinum nomen, nec ulli posse competere quam soli  
diuinæ maiestati, Ea enim potest & facit (sicut Psal.  
canit) Omnia quæ uult in caelo & in terra. Quod si  
hominibus tribuitur, nihilo rectius tribuitur, quam si  
diuinitas quoq; ipsa eis tribueretur, quo sacrilegio  
nullum esse maius possit. Proinde theologorum erat  
ab isto uocabulo abstinere, cum de humana uirtute lo-  
qui uellent, & soli Deo relinquere, deinde ex ho-  
minum ore & sermone id ipsum tollere, tanquam sa-  
crum ac uenerabile nomen Deo suo asserere. Atq; si  
omnino aliquam uim tribuerent hominibus, alio uo-  
cabulo, quam liberum arbitrium docerent nominan-  
dam, presertim cum nobis cognitum perspectumq;  
sit, misere falli ac seduci eo uocabulo populum, ut  
qui longe ab iud. audit & concipit eo uocabulo, quam  
Theologi sentiunt & disputant. Est enim magnifica  
numis

*Quod si  
hominibus  
tribuitur,  
nihil rectius  
tribuitur,  
quam si  
diuinitas  
quoq; ipsa  
eis tribueretur,  
quo sacrilegio  
nullum esse  
maius possit.*



nimis & amplissima plenaq; uox lib. arb. qua popu-  
 lus putat eam uim significari ( sicut & uis & natura  
 uocabuli exigit ) qua libere possit in utrumq; se uer-  
 tere, neq; ea uis ulli cedat uel subiecta sit, Quod si sci-  
 ret, hoc secus habere, & modiculam scintillulam uix  
 ea significari, eamq; prorsus inefficacem se sola, cap-  
 tiuam et seruam diaboli, mirum, si non lapidarent nos,  
 tanquam illusores & deceptores, ut qui aliud sone-  
 mus, aliudq; longe significemus, imò nec dum constet  
 aut conueniat, quid significemus, Qui enim sophisticè  
 loquitur (ait sapiens) odibilis est, maxime si id in rebus  
 pietatis facit, ubi de salute aeterna periculum est.

Cum ergo significationem & rem uocabuli tam  
 gloriosi amiserimus, imò nunquam habuerimus (quod  
 Pelagianus uoluerunt & ipsi hoc uocabulo illusi) quid  
 inane uocabulum tam pertinaciter retinemus, in peri-  
 culum & illusionem fidelis populi? non alia sapientia,  
 quam nunc reges & principes, inanes titulos regnorū  
 & regionum quoq; uel retinent uel sibi uendicant ac  
 iactant, cum interim penè mendici sint, ac nihil minus  
 quam ea regna et regiones habēt. Verū hoc tolerabi-  
 le, quando neminē fallunt aut ludunt, sed se ipsos uani-  
 tate pascunt, nullo sane lucro, At hic periculum salu-  
 tis et illusio nocentissima est, Quis non rideat uel odio  
 potius habeat intempestiuum illum uocabulorū inno-  
 uatorem, qui contra omnium usum, inducere, tentet  
 eum modum loquendi, ut mendicū uocet opulentum,  
 non quod



non quod aliquid opum habeat, sed forte rex aliquis illi suas donare posset, faceretq; id uelut serio, nulla figura locutionis, scilicet uel antiphrasi uel ironia. Sic aegrotum usq; ad mortem, perfecte sanum, ita sane, quia alter illi posset suam sanitatem dare. Item, si illiteratissimum idiotam, uocet literatissimum quia alter quispiam literas forte dare posset. Ita & hic sonat, Homo est liberi arbitrij, ita sane, si Deus illi suum concederet. Hoc abusu loquendi, quilibet de quolibet sese iactare posset, Vt, ille est dominus caeli & terrae, si Deus hoc ei donaret, At hoc non est Theologorum, sed Histriorum & quadruplatorum, Nota uerba debent esse, propria, pura, sobria, & ut Paulus dicit, sana & irreprehensibilia.

Quod si omnino uocem eam omittere nolimus, quod esset tutissimum & religiosissimum, bona fide tamen eatenus uti doceamus, ut homini arbitrium liberum non respectu superioris, sed tantum inferioris se rei concedatur, hoc est, ut sciat sese in suis facultatibus & possessionibus habere ius utendi, faciendi, omitendi pro libero arbitrio, licet & id ipsum regatur solius Dei libero arbitrio, quocumq; illi placuerit. Ceterum erga Deum, uel in rebus, quae pertinent ad salutem uel damnationem, non habet lib. arbit. sed captiuus, subiectus & seruus est, uel uoluntatis Dei uel uoluntatis Satanae. Hec dixi de capitibus praefationis tuae, quae & ipsa ferme totam causam complectuntur.



tuntur magis penè quàm sequens corpus libelli, Veruntamen summa horum fuit, quæ breui hoc dilem-  
 matè potuisset expediri, Aut tua præfatio de uerbis  
 Dei, aut de uerbis hominum queritur. Si de uerbis  
 hominum, tota frustra scripta est, nec ad nos pertinet.  
 Si de uerbis Dei, tota impia est. Proinde utilius fuis-  
 set, ut de eo diceretur, an essent uerba Dei uel homi-  
 num, de quibus disputamus. Hoc autem sequens forte  
 præmium & ipsa disputatio tractabit. Quæ uero  
 in Epilogo præfationis retexis, nihil mouent, ut quod  
 fabulas uocas & inutilia dogmata nostra, esse potius  
 exemplo Pauli, docendum Christum crucifixum, sa-  
 pientiam inter perfectos docendam, Esse scripturæ  
 suam linguam pro modo auditorum uarie attempera-  
 tam, ut prudentiæ & charitati doctoris relinquen-  
 dam ducas, qui doceat, quod expediat proximo. Om-  
 nia inepte dicis & ignoranter, Nam & nos nihil nisi  
 Iesum crucifixum docemus, At Christus crucifixus  
 hæc omnia secum affert, ipsamq; adeo sapientiam in-  
 ter perfectos, cum nulla sit alia sapientia inter Chri-  
 stianos docenda, quàm ea, quæ abscondita est in my-  
 sterio & ad perfectos pertinet, non ad pueros Iudaici  
 & legalis populi sine fide in operibus gloriantis, ut  
 1. Corinth. 2. sentit Paulus, nisi tu Christum crucifixum  
 docere aliud nihil uis intelligi, quàm has literas  
 sonare, Christus est crucifixus. Iam quod Deus iras-  
 citur, furit, odit, dolet, miserescit, pœnitet, quorum  
 tamen

*Dilemma est  
 prologo que  
 aduersariū  
 ab omni ppe  
 greditur*



tamen nullum in Deum eadit, Hic nodus in scirpo  
 quaritur, Neq; enim hæc scripturam faciunt obscu-  
 ram aut uarijs auditoribus attemperandam, nisi quod  
 delectat obscuritates facere, ubi nullæ sunt, Gram-  
 matica enim ista sunt & figuris uerborum composita,  
 quæ etiam pueri norunt, Nos uero de dogmatibus, non  
 de grammaticis figuris agimus in hac causa.

Ingressurus igitur disputationem, Promittis actum  
 te scripturis Canonicis, quandoquidem Luthers  
 nullius præterea scriptoris autoritate tenetur. Pla-  
 cet, & accipio promissum, quanquam non id pro-  
 mittis eo consilio, quod inuiles eosdem scriptores ad  
 causam iudices, sed ut frustranum laborem non subea-  
 as, Nam non satis probas hanc meam uel audaciam uel  
 quo nomine appellandum est hoc meum institutum,  
 Mouet enim te non nihil, tam numerosa series erudi-  
 tissimorum uirorum, tot sæculorum consensu appro-  
 batorum, inter quos fuerunt, peritissimi in sacrarum  
 literarum, item sanctissimi, aliqui martyres, multi mi-  
 raculis clari, Adde recentiores Theologos, tot Aca-  
 demias, Concilia, Episcopos, Pontifices, Summa, ex  
 hac parte stat, Eruditio, ingenium, multitudo, mag-  
 nitudo, altitudo, fortitudo, sanctimonia, miracula, &  
 quid non? Ex mea uero parte unus Vuicleff & alter  
 Laurentius Valla, quanquam & Augustinus, quem  
 præteris, meus totus est, Sed illi nihil ponderis habent  
 præ illis, Reliquus est Lutherus unus, priuatus, non  
 per natus,



per natus, cum suis amicis, in quibus neq; tanta eru-  
 ditio, nec tantū ingenū, nec multitudo nec magnitudo,  
 nec sanctimonia, nec miracula, ut qui ne claudū quidem  
 equum sanare queant, Scripturam ostentant, quam ta-  
 men dubiā habent, æque ut altera pars, deinde spiritū  
 iactant, quē nusquam ostendūt, Et alia quæ tu plurima  
 fando, enumerare uales, Nihil igitur apud nos, quān-  
 ut lupus ad deuoratam philomelam dixit, Vox es, præ-  
 terea nihil, Dicunt enim, & hoc solo (ais) sibi credi  
 uolunt. Fateor, Mi Erasme, non immerito te istis omni-  
 bus moueri, Ego ultra decennium istis sic motus sum,  
 ut nullum alium arbitrer esse, qui æque sit istis permo-  
 tus, Eratq; mihi incredibile ipsi, hanc Troiam no-  
 stram, tanto tempore, tot bellis inuictam, posse ali-  
 quando capi, Et testor Deum in animam meam, perse-  
 uerassem, adhuc hodie sic mouerer, nisi urgente consci-  
 entia, & euidencia rerum me in diuersum cogeret.  
 Potes sane cogitare, nec mihi saxeam esse pectus, atq;  
 si saxeam esset, tamen tantis fluctibus & æstibus lucta-  
 tum & collisum potuisse liquefcere, dum id auderem,  
 quo facto, uidebam omnem illorum auctoritatem,  
 quos recensuisti, super caput meum uelut diluuium  
 inundaturam. Sed non est nunc locus, meæ uitæ aut  
 operum historiam texere, nec ut nosipos commen-  
 daremus, hæc suscepta sunt, sed ut gratiam Dei  
 extolleremus, Quis sim, & quo spiritu &  
 consilio in istas res raptus sim, illi commendo,  
 qui



qui scit, hæc omnia, suo, non meo arbitrio libero gesta, quamuis & ipse mundus id iam dudum sensisse deberet. Et plane in odiosum locum me isto exordio conijcis, ut nisi me ipsum iactauero & tot patres im-  
perauero, non facile me expediam, Sed breuiter dicam, Eruditione, ingenio, multitudine, autoritate & omnibus alijs, etiam te iudice, cedo. Quid autem sit ostensio spiritus, quid miracula, quid sanctimonia, hæc tria si a te requiram, quantum ex literis & libris tuis te noui, imperitior & ignorantior uideberis, quam ut ulla syllaba queas ostendere, Aut si urgeam & postulem, quem nam inter omnes illos, quos iactas, certo possis monstrare, sanctum fuisse uel esse, aut spiritum habuisse, aut uera miracula edidisse, arbitror te multum, sed frustra sudaturum esse. Multa loqueris ex usu & publicis sermonibus accepta, que non credis, quamum amittant fidei & autoritatis, si ad iudicium conscientie uocentur. Verum est proverbium, Multos in terra pro sanctis haberi, quorum anime sunt in inferno.

Sed donemus tibi, si uis, etiam omnes fuisse sanctos, omnes habuisse spiritum, omnes fecisse miracula (quod tamen non petis) Hoc mihi dic, an in nomine aut uirtute liberi arbitrij, aut ad confirmandum dogma de lib. arb. ullus eorum fuerit sanctus, acceperit spiritum, ediderit miracula? Absit (inquis) sed in nomine & uirtute Ihesu Christi & pro dogmate Christi, facta

*Handwritten signature or mark*



facta sunt hæc omnia. Quid igitur sanctimoniam,  
 spiritum miracula eorum, pro dogmate libe. arbit.  
 adducis? pro quo data & facta non sunt? Nostra igitur  
 sunt illorum miracula, spiritus & sanctimonia,  
 qui Iesum Christum, non autem vires aut opera homi-  
 num predicamus. Quid iam mirum, si ij, qui sancti,  
 spirituales, mirabiles fuerunt, aliquoties carne præ-  
 uenti, locuti sunt & operati secundum carnem, quan-  
 do id & ipsis Apostolis sub ipso Christo non semel  
 accidit? Neque enim tu negas, sed asseris, lib. arb. non  
 esse spiritus aut Christi negocium, sed humanum, ita  
 ut spiritus qui Christum clarificaturus promissus est,  
 utiq; non possit lib. arb. predicare. Si ergo patres  
 aliquando libe. arbit. predicauerunt, certe ex carne  
 (ut fuerunt homines) non ex spiritu Dei sunt locuti,  
 multo minus pro eo miracula ediderunt, Quare in-  
 epta est allegatio tua, de sanctimonia, spiritu & mi-  
 raculis patrum, quod ex ijs, non lib. arb. sed Ihesu  
 Christi dogma, contra libe. arbi. dogma probetur.

Sed agite adhuc, qui ex lib. arb. estis & dogma  
 eiusmodi uerum, hoc est, ex spiritu Dei asseritis ue-  
 nisse, adhuc, inquam, ostendite spiritum, edite mira-  
 cula, monstrate sanctimoniam, Certe uos, qui asseritis,  
 hæc nobis negantibus debetis, A nobis, qui negamus,  
 spiritus, sanctimonia, miracula exigi non debent, A  
 uobis, qui asseritis, debent, Quando negatiui, nihil  
 ponit, nihil est, nihil tenetur probare, nec debet pro-

B bari,



bari, Affirmatiua debet probari. Vos lib. arb. uim  
 & rem humanam affirmatis, sed nullum haecenus est  
 uisum aut auditum miraculum à Deo, pro ullo dog-  
 mate rei humane, sed solum pro dogmate rei diuinae.  
 Nobis autem mandatum est, prorsus nullum dogma ad-  
 mittere, signis diuinis non ante probatum Deutero, 18.  
 Quin scriptura hominem uocat uanitatem & menda-  
 cium, quod aliud nihil est, quam omnia humana esse  
 uana & mendacia. Agite igitur, Agite inquam, pro-  
 bate dogma uestrum de uanitate humana & mendacio  
 esse uerum, ubi hic ostensio spiritus? ubi sanctimonia?  
 ubi miracula? Ingenia, eruditionem, auctoritatem ui-  
 deo, sed ea & gentibus dedit Deus. Nec tamen uos ad  
 magna miracula cogemus, nec ad equum claudum sa-  
 nandum, ne causemini carnale saeculum, quanquam  
 Deus sua dogmata miraculis confirmare soleat, nullo  
 respectu carnalis saeculi, neq; enim saeculi carnalis  
 meritis uel demeritis mouetur, sed mera misericordia,  
 gratia & amore animarum solida ueritate stabilienda-  
 rum in gloriam suam. Electio uobis datur miraculi  
 quantumlibet parui faciendi. Quin ego uestrum Ba-  
 al irritaturus insulto & prouoco, ut uel unam ranam  
 erectis in nomine & uirtute lib. arbit. quarum tamen  
 gentiles & impij Magi in Aegypto potuerunt multas  
 creare, non enim pediculis creandis grauabo uos,  
 quos nec illi educere potuerunt. Dicam adhuc leui-  
 us, capite uel unum pulicem uel pediculum (quando  
 nostrum



nostrum Deum tentatis & ridetis in sanando equo claudo) & coniunctis omnibus uiribus, constatisq; omnibus studijs, tam Dei uestri quam uestrorum omnium, si poteritis illum occidere, in nomine & uirtute liberi arbitrij, uictores estote, & defensa sit causa uestra, mox ueniamus et nos adoraturi Deū illū, mirabile interfectore pediculi, Non quod negem uos posse & montes transferre, Sed quod aliud sit quippiam ex uo lib. arbitrij factum dici, & aliud idipsum probari.

Quod autem de miraculis dixi, idem de sanctimonia dico, Si poteritis in tanta serie seeculorum, uiuorum, & omnium quæ memorasti, ostendere unum opus ( sit etiam leuare stipulam de terra ) aut unum uerbum ( sit uel syllaba My ) uel unum cogitatum ex uo lib. arbit. ( sit uel tenuissimum suspirium ) quo uel applicuerunt se ad gratiam, uel quo meruerunt spiritum, uel quo impetrauerunt ueniam, uel quo aliquid cum Deo egerunt, quantumuis modiculum ( taceo, quo sanctificati sint ) iterum uictores uos estote, & nos uicti, Ex ui ( inquam ) & nomine lib. arb. Nam quæ fiunt in hominibus uel creationis diuinæ, habet scripturæ testimonia abunde. Et certe id ostendere debetis, ne ridiculi doctores uideamini, qui de ea re dogmata, cum tanto supercilio & autoritate spargitis in mundum, cuius nullū producatis monumentū, Somnia .n. dicuntur, ad quæ nihil sequitur, q. longe turpissimum est, tantis et tot seeculorū uiris eruditissimis et sanctissimis &

E z miraculosis



miraculosis, Tum Stoicos uobis preferemus, qui licet  
 & ipsi descriperunt sapientem, qualem nunquam  
 uiderunt, tamen partem aliquam conati sunt expri-  
 mere. Vos prorsus nihil, ne umbram quidem uestri  
 dogmatis exprimere potestis. Sic de spiritu dico, Si  
 ex omnibus assertoribus lib. arbi. ostendere potestis  
 unum, qui tantillum robur animi uel affectus habue-  
 rit, ut in nomine & uirtute lib. arb. unum obulum  
 contemnere, uno bolo carere, unum uerbum uel sig-  
 num iniurie ferre potuerit (nam de contemptu opum,  
 uitae, fame nihil dicam) iterum palmam habete &  
 sub hastam libenter ibimus, Atque id ipsum uos, qui  
 tanta bucca uerborum uim lib. arb. iactatis, uobis ex-  
 hibere debetis, aut iterum de lana caprina uidebimini  
 statuere, aut ut ille, in uacuo theatro ludos spectare.  
 Ego uero contrarium uobis facile ostendam, Quod  
 uiri sancti, quales iactatis, quoties ad Deum oraturi  
 uel acturi accedunt, quam penitus obliti incedant lib.  
 arb. sui, desperantes de semetipsis ac nihil nisi solam et  
 puram gratiam longe alia meritis sibi inuocantes,  
 Qualis saepe Augustinus, Qualis Bernardus cum mo-  
 riturus diceret, Perdidit tempus meum, quia perdit  
 uixi. Non uideo hic allegari uim aliquam, quae ad gra-  
 tiam sese applicet, sed accusari omnem uim, quod non  
 nisi auersa fuerit, Quamquam illi ipsi sancti aliquando  
 inter disputandum aliter de lib. arb. locuti sunt, sicut  
 uideo omnibus accidisse, ut alij sint, dum uerbis aut  
 disputati



disputationibus intenti sunt, & alij dum affectibus & operibus, illic dicunt aliter q̄ affecti fuerunt ante, hic aliter afficiuntur quàm dixerunt ante, Ex affectu uero potius quàm ex sermone metiendi sunt homines, tam pij quàm impij.

Sed adhuc amplius uobis donamus, miracula, spiritum, sanctimoniam non exigimus, ad ipsum dogma reuertamur, Hoc solum petimus, ut saltem id nobis indicetis, quod nam opus, quod uerbum, quem cogitatum illa uis liberi arbitrij moueat, uel conetur, uel faciat, ut applicet sese ad gratiam, Non enim satis est dicere, Est uis, Est uis, Est uis quaedam lib. arbi. quid enim dictu facilius? nec hoc est uirorum eruditissimorum & sanctissimorum, tot sæculis approbatorum, sed nominandus est infans (aiunt germanico pro uerbo) definiendum, quæ sit illa uis, quid faciat, quid patiatur, quid accadat, Exempli causa, crassissime enim dicam, hoc queritur, an illa uis, uel orare, uel ieiunare, uel laborare, uel corpus fatigare, uel elemosynam dare, uel aliud huiusmodi debeat, uel conetur, Si enim uis est, aliquid operis molietur. Sed hic estis ranis Seriphijs & piscibus magis muti, Et quomodo definiretis? cum uestro ipsorum testimonio, sitis adhuc de ipsa ui incerti, uarij inter uos & inconstantes uobis ipsis, quid fiet de definitione, cum definitum ipsum sibi non constet? Sed esto, quod post animos Platonis, aliquando inter uos de ui ipsa conueniat,



eum definiatur, eius opus esse, orare, ieiunare uel alia  
 quid tale, quod adhuc forte in Platonice idæis later,  
 Quis nos certos faciet, id esse uerum, id placere Deo,  
 uosq; tuto rectum agere? praesertim, cum ipsi fatua-  
 mini, esse rem humanam, quæ spiritus testimonium  
 non habet, ut quæ Philosophis iactata & in mundo  
 fuerit, antequam Christus ueniret & spiritus de cœ-  
 lo mitteretur, ut certissimum sit, non de cœlo missum,  
 sed e terra iam ante natum hoc dogma, ideo magno  
 opus testimonio, ut certum & uerum esse confirme-  
 tur.

Sinus ergo nos priuati & pauci, uos uel publicani  
 & multi, nos rudes, uos eruditissimi, nos crassi, uos  
 ingeniosissimi, nos heri nati, uos Deucalione antiqui-  
 ores, nos nunquam recepti, uos tot sæculis approba-  
 ti, Deniq; nos peccatores, carnales, socordes, uos  
 sanctimonia, spiritu, miraculis metuendi uel ipsis de-  
 monibus, saltem ius Turcarum & Iudeorum nobis  
 permitte, ut rationem dogmatis uestri postulemus,  
 quod Petrus uester uobis mandauit. Postulamus au-  
 tem modestissime, scilicet quod non exigimus sancti-  
 monia, spiritu, miraculis ipsum probari, quod utiq;  
 possemus iure uestro, cum ipsi hoc ab alijs exigatis,  
 Quia & hoc donamus, ne ullum exemplum facti uel  
 uerbi, uel cogitationis in uestro dogmate exhibeatis,  
 sed id solum doceatis, ipsam dogma saltem declaretis,  
 quid per ipsum intelligi uelitis, qua forma, si uos non  
 uultis



multis uel non potestis, saltem nos conemur exemplis  
 eius edere. Imitamini uel Papam cum suis, qui dicunt,  
 Que dicimus facite, secundum opera uero nostra no-  
 lite facere. Ita & uos dicite, Quod opus illa uis requi-  
 rat fieri, nos accingemur, uobis ocio relicto, An non  
 hoc saltem impetrabimus a uobis? Quo plures estis,  
 quo antiquiores, quo maiores, & quo omnibus no-  
 minibus potiores quam nos, hoc turpius uobis est, ut  
 nobis, qui omnibus modis nihili sumus coram uobis,  
 dogma uestrum discere & facere uolentibus, non  
 possitis, miraculo, uel pediculi occisi, uel spiritus ul-  
 lo affectulo, uel sanctimonie ullo opusculo, probare,  
 sed nec ullius facti uel uerbi exemplum ostendere,  
 Deinde quod inauditum est, nec ipsam dogmatis for-  
 mam aut intelligentiam declarare, ut saltem nos imita-  
 remur. O festiui magistri lib. arb. Quid iam uos estis,  
 nisi uox, preterea nihil? Qui nunc sunt Erasme illi,  
 qui spiritum iactant, & nihil ostendunt, qui dicunt so-  
 lum, ac mox sibi credi uolunt? Nonne tui illi sunt, sic  
 in coelum uecti? qui ne dicitis quidem, & tanta iacta-  
 tis & exigitis. Rogamus itaq; per Christum, Mi  
 Erasme, tu cum tuis, nobis saltem concede, ut peri-  
 culo conscientie nostre absterriti, liceat metu trepi-  
 dare, uel saltem assensum differre dogmatis, quod tu  
 ipse uides, esse nihil nisi inanem uocem & strepitum  
 syllabarum, scilicet, Vis lib. arbit. est, Vis lib. arbit.  
 est, etiam si ad summum ueneritis & omnia uestra

E 4 probata



probata sint & constant. Deinde adhuc incertum apud ipsos tuos, an ea uox sit uel non sit, cum ipsi inter sese uariant & sibi ipsis non constant, Iniquissimum est, imò longe miserrimum, solo phantasmate uocari, cuiusdemq; incertæ, nostras conscientias uexari, quas Christus sanguine suo redemit, Ac nisi uexari nos sinamus, rei accusamur superbiæ inaudita, quod tot patres tot sæculorum contempserimus, qui lib. arb. asseruerint, cum uerius, ut ex dictis uides, nihil prorsus de lib. arb. definierint, ac sub pretextu & nomine illorum, lib. arb. dogma erigitur, cuius tamen neq; speciem nec nomen possunt ostendere, & mendaci uocabulo sic deludunt orbem.

Atq; hic, Erasme, tuum ipsius consilium appellamus, qui supra suasisti, esse omittendas eiusmodi questiones, ac potius docendum Christum crucifixum, & quæ satis sint ad Christianam pietatem. Hoc enim iam dudum nos querimus & agimus. Quid enim nos contendimus aliud, quam ut simplicitas & puritas doctrinæ Christianæ regnet, relictis & neglectis ijs, quæ per homines iuxta inuenta & introducta sunt? Sed tu qui consulis talia nobis, ipse non facis, imò contrarium facis, scribis Diatribas, Decreta Pontificum celebras, auctoritatem hominum iactas, & omnia tentas, ut nos rapias in ista peregrina & aliena à scripturis sanctis ac non necessaria uolus, ut simplicitatem & sinceritatem pietatis Christianæ corrumpamus.



potius & confundamus hominum additamentis. Quo  
facile intelligimus, nec ex animo te ista nobis consulu-  
isse, nec quicquam serio te scribere, sed inanibus bullis  
uerborum tuorum confidis te, orbem posse duci quo-  
cumq; uis, Et tamen nusquam ducis, cum nihil pror-  
sus dicas, nisi meras contradictiones per omnia &  
ubiq; ut rectissime dixerit, qui te ipsissimum Prothe-  
on aut Vertumnnum appellauit, aut ut Christus dicit,  
Medice cura te ipsum, Turpe est doctori quem cul-  
pa redarguit ipsum.

Donec igitur uestram affirmatiuam probaueritis,  
stamus in nostra negatiua, & sub iudice etiam toto illo  
choro sanctorum quem tu iactas, uel potius toto mun-  
do, audemus & gloriamur, id quod nihil est, nec  
quid sit, monstrari certo potest, oportere nos non ad-  
mittere, Atq; uos omnes esse incredibili præsumptio-  
ne uel insania, qui a nobis id ipsum exigatis admitti,  
nulla causa, nisi quia uos multos, magnos, antiquos,  
id quod nihil esse ipsi fatemini, asserere delectat, quasi  
res sit Christianis magistris digna, miserum populum  
in re pietatis, eo quod nihil est, ac si magni ad salutem  
momenti foret, ludere. Vbi nunc est illud grecorum  
ingeniorum acumen, quod hactenus, saltem bella ali-  
qua specie fingebat mendacia, hic aperto & nudo ser-  
mone mentitur? Vbi latina illa indrustria græcæ æqua-  
ta, quæ sic ludit & luditur uocabulo uanissimo? Sed  
sic contingit imprudentibus, uel malignis lectoribus

E 5 librorum,



librorum, dum ea, quae sunt infirmitatis in patribus  
 & sanctis, faciunt omnia esse summae auctoritatis, ut  
 culpa ista non sit authorum, sed lectorum. Ac si quis  
 sanctimonia & auctoritate Sancti Petri nixus, con-  
 tenderit omnia, quae S. Petrus unquam dixit, esse uera,  
 ut etiam illud persuadeat esse uerum, quod Matth. 16.  
 ex carnis infirmitate suasit Christo, ne patretur, eat  
 illud, ubi iussit Christum exire a se de nauis, & multa  
 alia, in quibus ab ipso Christo reprehenditur.

Similes sunt, qui eiusmodi sunt, illis, qui uidentur  
 gratia garrunt, non esse omnia uera, quae sunt in Euan-  
 gelio, & apprehendunt illud Iohan. 8. ubi Iudaei di-  
 cunt ad Christum, Nonne bene dicimus tibi, quod Sa-  
 maritanus es & demonium habes? Vel illud, Reus  
 est mortis. Vel illud, Hunc inuenimus subuertentem  
 gentem nostram & prohibentem tributa dari Caesari.  
 Idem faciunt, diuerso quidem fine, nec uoluntate, ut  
 illi, sed caecitate & ignorantia liberi arbitrij asserto-  
 res, qui ex patribus id, quod infirmitate carnis lapsi  
 pro libero arbitrio dixerunt, ita apprehendunt, ut  
 etiam opponant ei, quod alio loco idem patres for-  
 titudine spiritus contra libe. arbit. dixerunt, tum  
 urgent mox, & cogunt, ut melius cedat deteriori.  
 Ita fit, ut auctoritatem deterioribus dictis tribuant,  
 quia faciunt ad sensum carnis suae, & adimant melio-  
 ribus, quia faciunt contra sensum carnis suae. Cur  
 non potius eligimus meliora? Talia enim multa sunt  
 in patri-



in patribus, Et ut exempli aliquid afferam, Quid carnaliter? imò quid magis impium, sacrilegum & blasphemum dici potest, quam id quod Hieronymus solet, Virginitas cælum, coniugium terram replet, quasi Patriarchis & Apostolis ac Christianis coniugibus terra, non cælum debeatur, aut uirginibus uestibus in gentibus sine Christo, cælum debeatur? Et tamen hæc & similia ex patribus colligunt Sophistæ, dum numero potius quam iudicio certant, ut auctoritatem illis parent, quemadmodum fecit insulsus ille Faber Constantiensis, qui margaritum illud suum, id est, Augiæ stabulum nuper donauit publico, ut esset quod pijs & eruditis nauseam ciceret & uomitum.

Per hæc ad illud respondeo, ubi dicitis, Incredible esse, ut Deus Ecclesiæ suæ errorem dissimularit tot sæculis, nec ulli sanctorum suorum reuelarit, id quod nos contendimus esse doctrinæ Euangelicæ caput? Primum, non dicimus errorem hunc esse in Ecclesia sua toleratum à Deo, nec in ullo suo sancto, Ecclesia enim spiritu Dei regitur, Sancti aguntur spiritu Dei, Ro. 8. Et Christus cū Ecclesia sua manet usq; ad consummationem mundi, Et Ecclesia Dei est firmamentum & columna ueritatis, Hæc, inquam, nouimus, Nam sic habet & symbolum omnium nostrū, Credo Ecclesiam sanctā catholicā, ut impossibile sit, illā errare etiā in minimo articulo. Atq; si etiam donemus, aliquos electos in errore teneri in tota uita, tamen ante mortem necesse est, ut



est, ut redeant in uiam, quia Christus dicit Iohan. 8.  
 Nemo rapiet eos de manu mea. Sed hic labor, hic  
 opus est, certo constare, an illi, quos tu Ecclesiam uo-  
 cas, Ecclesia sint, uel potius an tota uita errantes, dea-  
 mum ante mortem sint reducti. Neq; enim sequitur  
 statim, si Deus illos omnes, quos adducis, quantis  
 longa serie sæculorum, eruditissimos uiros, passus sit  
 errare, ergo Ecclesiam suam passus est errare. Vide  
 populum Dei Israel, ubi in tanto regum numero &  
 tempore, ne unus quidem rex numeratur, qui non er-  
 ret. Et sub Elia Propheta sic omnes & omne quod  
 publicum erat istius populi, abierat in idolatriam, ut  
 se solum relictum putaret, cum interim, dum reges,  
 principes, sacerdotes, Prophetae & quicquid potes-  
 rat populus uel Ecclesia Dei dici, perditum iret, sepe-  
 tem milia sibi reseruarit Deus, quos quis uidit aut no-  
 uit esse, populum Dei? Quis igitur & nunc negare  
 audeat, Deum sub istis principibus uiris (non enim  
 nisi uiros publici ministerij & nominis recenset) in  
 uulgo sibi seruasse Ecclesiam, & illos omnes, exem-  
 plo Israelitici regni, perire permisisse? quandoquid-  
 dem peculiare est Deo, Electos Israel impedire &  
 pingues eorum occidere Psalmo .77. Ecce uero &  
 reliquias Israel seruare, ut Isaias dicit.

Quid accidit sub ipso Christo, ubi omnes Apo-  
 stoli scandalisati, tum ipse ab uniuerso populo nega-  
 tus & damnatus est, uix uno & altero Nicodemo &  
 Iosephe,



Iosepho, tum latrone in cruce seruatis? At nunquid  
 illi populus Dei tum dicebantur? Erat quidem po-  
 pulus Dei reliquus, sed non nominabatur, is qui nomi-  
 nabatur, non erat. Quis scit, si toto mundi cursu, ab  
 origine sua, semper talis fuerit status Ecclesie Dei,  
 ut alij dicerentur populus & sancti Dei, qui non es-  
 sent, alij uero inter illos, ut reliquie, essent & non  
 dicerentur populus aut sancti, sicut monstrat historia  
 Cain & Habel, Ismael & Isaac, Esau & Iacob? Vide  
 Arrianorum seeculum, ubi uix quinq; in toto orbe  
 Episcopi catholici seruati sunt, ijs; a sedibus pulsi,  
 regnantibus ubiq; Arrianis publico nomine & officio  
 Ecclesie, nihilominus sub istis hereticis suam Ec-  
 clesiam seruauit Christus, sed sic, ut minime Ecclesia  
 putaretur aut haberetur. Sub Papae regno, ostende  
 unum Episcopum suo officio fungentem, ostende unum  
 concilium, in quo de rebus pietatis tractatum sit, ac  
 non potius de pallijs, de dignitate, de censibus & alijs  
 prophanis nugis, quae spiritui sancto tribuere, nisi in-  
 sanus, non possit, Et nihilominus ij Ecclesia uocantur,  
 cum omnes, saltem sic uiuentes, perditii sint & nihil  
 minus quam Ecclesia. Verum sub ijs seruauit suam  
 Ecclesiam, sed ut non diceretur Ecclesia. Quot san-  
 ctos putas exusserunt & occiderunt iam aliquot se-  
 culis, soli illi inquisitores hereticae prauitatis? uelut  
 Iohannem Hussum & similes, quorum seeculo non du-  
 bium est, multos uiros sanctos uixisse eodem spiritu.

CUR



Cur non illud potius miraris Erasme, quod ab origine mundi semper inter gentes fuerunt, excellentiora ingenia, maior eruditio, ardentius studium, quam inter Christianos uel populos Dei, sicut Christus ipse conficitur, prudentiores esse filios huius seculi filios lucis? Quis Christianorum uel uni Ciceroni, ut Graecos taceam, ingenio, eruditione, diligentia comparandus est? Quid igitur obstitisse dicemus, ut nullus illorum ad gratiam peruenire potuerit? qui certe liberum arbitrium summis exercuerunt uiribus? Nullum uero inter eos fuisse, qui summo studio ad ueritatem contingeret, quis audeat dicere? Et tamen asseri oportet, nullum peruenisse. An etiam hic incredibile diceres? Deo tot tantosque uiros, perpetuo mundi cursu, reliquisse & frustra nitenti permisisse? Certe, si liberum arbitrium aliquid esset uel potuisset, in illis uiris fuisse & potuisse debuerit, uel uno aliquo exemplo, Sed nihil ualuit, imo in contrarium semper ualuit, ut hoc uno argumento scitis probari queat, liberum arbitrium nihil esse, ut cuius nullum indicium ab initio mundi usque in finem ostendi possit. Sed redeo ad propositum. Quid mirum, si Deus omnes Ecclesie maiores sinat ire uias suas, qui sic omnes gentes permisit ire uias suas, ut Paulus in actibus dicit? Non est restum uulgaris, Mi Erasme, Ecclesia Dei, quam est, nomen hoc, Ecclesia Dei, nec ita passim occurrant sancti Dei, ut hoc nomen, Sancti Dei, Margaritum & nobiles gemmae sunt, quas spiritus



non proicit ante porcos, sed ut scriptura uocat, abscondit as seruat, ne impius uideat gloriam Dei, Alio-  
 qui si palam ab omnibus agnoscerentur quomodo fieri  
 posset, ut sic in mundo uexarentur & affligerentur?  
 ne Paulus dicit, Si cognouissent, nunquam Dominum  
 glorie crucifixissent.

Non hæc dico, quod sanctos uel Ecclesiam Dei esse  
 negem, quos tu adducis, sed quod probari non possit,  
 si quis neget, esse ipsos sanctos, relinqui uero prorsus  
 incertum, ideo locum a sanctimonia eorum, non esse  
 fidelem satis, pro dogmate aliquo confirmando. San-  
 ctos eos dico, & habeo, Ecclesiam Dei eos uoco &  
 sentio, canone charitatis, non canone fidei, Hoc est,  
 Charitas, quæ omnia optima de quouis cogitat, nec est  
 suspicax, omniaq; credit ac præsumit de proximis  
 bona, sanctum uocat quemlibet baptisatū, nec pericu-  
 lum est, si erret, quia charitatis est falli, cū sit exposita  
 omnibus omniū usibus & abusibus, ministra generalis,  
 bonorū, malorū, fidelium, infidelium, ueracium, falla-  
 cium. Fides uero nullum uocat sanctum, nisi diuino iu-  
 dicio declaratum, Quia fidei est, non falli. ideo cū om-  
 nes debeamus haberi inuicem sancti, iure charitatis,  
 nullus tamen debet sanctus decerni, iure fidei, tan-  
 quam articulus sit fidei, illum uel illum esse sanctum,  
 quo modo suos, quos nescit, sanctos canonizat, aduersa-  
 rius ille Dei, Papa in locum Dei se constituens. Hoc  
 solum dico, de illis tuis, uel nostris potius sanctis,  
 quod



quod cum ipsi uarient inter sese, illi potius sequendi fuerant, qui optima, id est, contra liberum arbi. pro gratia, loquuti sunt, relictis illis, qui pro infirmitate carnis, carnem potius quam spiritum testificati sunt. Ita & illi, qui sibiipsis non constant, ea parte fuerant eligendi & apprehendendi, ubi ex spiritu loquuntur, relinquendi uero, ubi carnem saperent. Hoc erat Christiani lectoris & animalis mundi habentis diffinitio unguis, & ruminantis. Nunc uero posthabito iudicio, omnia confusa uoramus, aut quod iniquius est, peruerso iudicio meliora respicimus, deteriora probamus, in unis eisdemq; authoribus, tum illisipsis deterioribus titulum & auctoritatem sanctimonie eorum aptamus, quam tamen illi ob optima & ob solum spiritum, non ob lib. arbi. uel carnem meruerunt.

*Aug 19 Lips*

*mg 21*

Quid igitur faciemus? abscondita est Ecclesia, latent sancti, Quid? cui credemus? seu ut tu argutissime disputas, Quis nos certos facit? Vnde explorabimus spiritum? Si eruditionem spectes, utriq; sunt Rabini, Sin uitam, utriq; peccatores, Sin scripturam, utriq; amplectuntur, Neq; adeo de scriptura, que nec dum sit lucida satis, sed de sensu scripturae, disputatur, utriq; uero homines, quorum ut neq; multitudo, neq; eruditio, neq; dignitas, quicquam facit ad causam, ita multo minus, paucitas, inscitia & humilitas. Relinquitur igitur res in dubio, & manet sub iudice lis, ut prudenter facturi uideamur, si in Sceptorum sensu



corum sententiam concedamus, Nisi quod tu omnium  
 optime facis, qui sic te dubitare dicis, ut ueritatem  
 querere te & discere testeris, interim in eam partem  
 inclinans, que libe. arbi. asserit, donec ueritas elu-  
 cescat. Hic respondeo, neq; nihil, neq; omnia dicis,  
 Non enim eruditionis, uite, ingenij, multitudinis, dig-  
 nitatis, inscientie, ruditatis, paucitatis, humilitatisue  
 argumentis spiritus explorabimus. Neq; illos probo,  
 qui refugium suum ponunt in iactantia spiritus, Nam  
 satis acre mihi bellum isto anno fuit & adhuc est,  
 cum istis Phanaticis, qui scripturas suo spiritui subij-  
 ciunt interpretandas, quo nomine & Papam hacten-  
 us insectatus sum, in cuius regno, hac uoce nihil uul-  
 gatus aut receptus est, Scripturas esse obscuras &  
 ambiguas, oportere spiritum interpretem ex sede  
 Apostolica Romæ petere, cum nihil perniciosius dici  
 possit, quod hinc homines impij sese supra Scripturas  
 extulerint, & ex ipsa fecerint, quicquid collibitum  
 fuit, donec prorsus scripturis conculcatis, nihil nisi  
 hominum furiosorum somnia & crederemus & do-  
 ceremus. Breuiter non est humanum inuentum illa  
 uox, sed incredibili malicia ipsiusmet principis om-  
 nium demonum, in orbem missum uirus.

Nos sic dicimus, duplici iudicio, spiritus esse ex-  
 plorandos seu probandos. Vno interiori, quo per  
 spiritum sanctum uel donum Dei singulare, quilibet  
 pro se, suaq; solius salute illustratus, certissime iudi-

E cat &



cat & discernit omnium dogmata & sensus, de quo dicitur .i. Corinth. x. Spiritualis omnia iudicat & a nemine iudicatur. Hæc ad fidem pertinet & necessaria est cuilibet etiam priuato Christiano, Hanc superius appellauimus interiorem claritatem scripturæ sanctæ. Hoc forte uoluerunt, qui tibi responderunt, Omnia esse iudicio spiritus decernenda. Sed hoc iudicium, nulli alteri prodest, nec de hoc queritur in hac causa, Nec ullus, credo, de illo dubitat, quin sic se habeat. Ideo alterum est iudicium externum, quo non modo pro nobis ipsis, sed & pro alijs & propter aliorum salutem, certissime iudicamus spiritus & dogmata omnium, Hoc iudicium est publici ministerij in uerbo & officij externi, & maxime pertinet ad duces & præcones uerbi, Quo utimur, dum infirmos in fide roboramus, & aduersarios confutamus. Hoc supra uocauimus externam scripturæ sanctæ claritatem. Sic dicimus, Scriptura iudice omnes spiritus in facie Ecclesiæ esse probandos, Nam id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atq; firmissimum, Scripturas sanctas esse lucem spirituales, ipso sole longe clariorem, præsertim in ijs, quæ pertinent ad salutem uel necessitatem. Verum, quia in contrarium persuasi sumus iam dudum, pestilenti illo Sophistarum uerbo, Scripturas esse obscuras & ambiguas, cogimur primum probare illud ipsum primum principium nostrum, quo omnia alia probanda sunt, quod

*iudicium est*

*in facie ecclesie  
probandos*



apud philosophos absurdum & impossibile factu uideretur.

Primus Moses dicit Deute. 17. Si qua difficilis causa incidit, esse adendum locum, quem Deus elegisset in nomen suum, atq; consulendos ibidem sacerdotes, qui secundum LEGEM Domini iudicare illam debeant, Secundum legem Domini (inquit) Quomodo autem iudicabunt, nisi Lex Domini sit externe clarissima, qua illis satis fieret? alioqui satis erat dicere, iudicabunt secundum spiritum suum. Quin sic habet in omni administratione populorum, ut omnes omnium cause per leges componantur, Quomodo uero componi possent, nisi leges essent certissima, & ipsa plane lumina in populo? Si enim leges sunt ambiguae & incertae, non solum nullae cause expedirentur, sed nec ulli mores certi constarent, Cum ideo ferantur leges, ut mores ad certam formam regulentur & causarum questiones definiantur. Oportet ergo id quod aliorum metrum & mensura est, multo certissimum & clarissimum esse, quale est Lex, quod si ea lux et certitudo legum in prophanis politijs, ubi de temporalibus agitur, & necessaria est, & diuino munere conceditur toti mundo gratis, Quomodo Christianis suis, scilicet electis, non multo maioris lucis & certitudinis donaret leges & regulas, secundum quas sese & omnes causas dirigerent atq; componerent? cum temporalia uelit a suis contemni, Si enim fenum, quod hodie stat



Et cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis nos? Sed pergamus et scripturis obruantur pestilens illud Sophistarum uerbum.

Psalms .18. dicit. Præceptum Domini lucidum seu purum, illuminans oculos. Credo, id, quod oculos illuminat, non esse obscurum uel ambiguum. Item, Psal. 118. Ostium uerborum tuorum illuminat et intellectum dat paruulis. Hic uerbis Dei tribuit, ut sint ostium et apertum quiddam, quod omnibus expostum sit, et etiam paruulos illuminet. Isaias .8. ad legem et testimonium mittit omnes quæstiones, et nisi hoc fecerimus, minatur nobis, negandam esse lucem auroræ. In Zacharia capit. 2. mandat, ut ex ore sacerdotis legem requirant, ut qui sit angelus Domini exercituum, pulcherrimus scilicet angelus uel legatus Domini, qui ea afferat, quæ tū ipsi sint ambigua, tum populo obscura, ut nesciat, tam ipse quid loquatur et illi quid audiant. Et quid in uniuerso ueteri testamento, maxime uno illo Psalmo .118. dicitur in laude scripturæ frequentius, quam ipsam esse lucem certissimam et euidentissimam? sic enim celebrat ille claritatem eius, Lucerna pedibus meis uerbum tuum et lumen semitis meis, Non ait, Lucerna pedibus meis solum spiritus tuus, licet et huic tribuat suum officium dicens, spiritus tuus bonus deducet me in terra recta, Ita et uia et semita dicitur, nimirum à nimia certitudine. Veniamus ad nouum testamentum, Paulus dicit

Roma.



Roma. i. Euangelium esse per Prophetas in scripturis  
 sanctis promissum, Et cap. 3. Iustitiam fidei testifica-  
 tam a lege & Prophetis. Qualis autem testificatio, si  
 obscura est? Quin cum per omnes epistolas, Euan-  
 gelion, uerbum lucis, Euangelion claritatis facit, tum  
 id ex professo ac magna copia facit. z. Cor. 3. & 4.  
 ubi de claritate tam Mosi quam Christi gloriose dispu-  
 tat. Petrus quoq; ait. z. Pet. 1. certum ualde habemus  
 sermonem Propheticum, cui attendentes sicut lampadi  
 lucenti in loco caliginoso, benefacitis. Hic Petrus,  
 uerbum Dei lucidam lucernam facit, omnia alia tene-  
 bras, Et nos obscuritatem & tenebras ex uerbo faci-  
 mus? Christus sese lucem mundi toties uocat, Iohan-  
 nem Baptistam lucernam lucentem & ardentem, absq;  
 dubio non propter uite sanctitatem, sed propter uer-  
 bum, quemadmodum Thessalo. Paulus, Luminaria  
 mundi uocat lucida, quia (inquit) uerbum uite tene-  
 tis, Vita enim sine uerbo incerta est & obscura.

Et quid faciunt Apostoli, dum suas predicationes  
 per scripturas probant? an ut nobis tenebras suas  
 maioribus tenebris obscurent? Vel ut notius per ige-  
 notius probent? Quid facit Christus Iohan. 5. ubi lu-  
 deos docet, ut scripturas scrutentur, sui scilicet testes?  
 an ut ambiguos reddat de fide sui? Quid faciunt illi  
 Actu. 17. qui audito Paulo, die & nocte scripturas  
 legebant, ut uiderent, an sic haberent? Nonne ista  
 omnia probant, Apostolos sicut & Christum, ad

F 3 scripturas



scripturas prouocare, tanquam ad testes clarissimas  
 suorum sermonum? Qua fronte ergo nos eas obscu-  
 ras facimus? Obsecro sunt ne illa uerba scripturae obs-  
 cura uel ambigua, Deus creauit cælum & terram,  
 Verbum caro factum est, & omnia quæ pro articulis  
 fidei totus accepit mundus? Unde accepit? nome ex  
 scripturis? Et quid faciunt, qui adhuc hodie prædi-  
 cant? Scripturas interpretantur ac declarant? At si  
 obscura est scriptura, quam declarant, Quis nos cer-  
 tos facit, ipsam eorum declarationem esse certam?  
 Alia noua declaratio? Quis & illam declarabit? Ita  
 fiet progressus in infinitum. Summa, si scriptura obs-  
 cura uel ambigua est, quid illam opus fuit nobis diui-  
 nitus tradi? an non satis sumus obscuri & ambigui,  
 nisi de cælo nobis augeatur obscuritas & ambiguitas  
 & tenebræ? Vbi tunc illud Apostoli manebit, Omnis  
 scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendū &  
 increpandum & arguendum? Imò inutilis est Paule  
 prorsus, sed ex patribus longa sæculorum serie re-  
 ceptis & sede Romana, talia petenda sunt, quæ tu  
 scripturae tribuis. Quare tua sententia reuocanda est,  
 ubi ad Titum scribis, Episcopum oportere potentem  
 esse in doctrina sana, exhortari, & redarguere con-  
 tra dicentes & os oppilare uaniloquis & mentium  
 deceptoribus. Quomodo erit potens, cum tu scriptu-  
 ras ei relinquas obscuras, hoc est, arma stuppea &  
 pro gladio leues stipulas? Tunc Christus quoq; nocem  
 suam



suam recantet, necesse est, qui nobis falso promittens, dicit, Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri, Quomodo non resistunt, quando obscuris & incertis contra eos pugnamus? Quid & tu nobis Erasme prescribis formam Christianismi, si tibi scripturae sunt obscurae? Sed iam dudum credo me onerosum esse etiam insensatis, qui in re clarissima tantas moras traho & copias perdo, Sed sic obruendum erat impudens & blasphema illa uox, Scripturas esse obscuras, ut & tu uideres, Mi Erasme, quid diceres, cum scripturam esse dilucidam negas, Nam simul asseras mihi, necesse est, omnes tuos sanctos, quos adducis, multo minus dilucidos esse, Quis enim certos nos facit de eorum luce, si scripturas obscuras feceris? Itaque nihil nisi tenebras nobis reliquas faciunt, qui scripturas negant esse lucidissimas & euidentissimas.

At hic dices, nihil ad me ista omnia, Non dico scripturas ubique obscuras esse (Quis enim ita insanit?) Sed in hac tantum parte & similibus. Respondeo, nec contra te ista solum dico, sed contra omnes, qui ita sentiunt. Deinde contra te de tota scriptura dico, nullam eius partem uolo obscuram dici, stat ibi, quod ex Petro retulimus, Lampadem lucentem nobis esse uerbum Dei in loco caliginoso. Quod si pars huius lampadis non lucet, potius pars caliginosi loci, quam ipsius lampadis erit. Non sic illuminauit, nos Christus, ut aliquam partem obscuram uoluerit relictam nobis



in suo uerbo, dum nos ad illud iubet attendere, frustra enim attendere iubet, si non lucet. Proinde si dogma de lib. arbi. obscurum uel ambiguum est, ad Christianos & scripturas non pertinet, ac relinquendum est prorsus, numerandumq; inter eas fabulas, quas damnat Paulus in Christianis rixantibus. Si autem ad Christianos & scripturas pertinet, clarum, apertum & euidens esse debet, prorsusq; similis ceteris omnibus euidentissimis articulis. Debent enim omnes Christianorum articuli tales esse, ut non modo ipsis certissimi sint, sed etiam aduersus alios tam manifestis & claris scripturis firmati, ut omnibus os obstuant, ne possint quicquam contradicere, sicut nobis Christus promittens, dicit. Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri. Si igitur os nostrum in hac parte infirmum est, ut aduersarij resistere possint, falsum est, quod dicit nullum aduersarium ori nostro resistere posse. Aut ergo in dogmate lib. arbi. nullos aduersarios habebimus, quod fiet, si ad nos nihil pertinet, Aut si ad nos pertinet, aduersarios quidem habebimus, sed qui resistere non possint.

Verum illa impotentia resistendi aduersariorum (quando id hic incidit) sic habet, non quod cogantur cedere sensu suo, aut persuadeantur confiteri aut tacere, Quis enim inuitos coget credere, fateri errorem aut tacere? Quid loquatius uanitate, ait Augustinus?



finus? Sed quod os illorum sic obstruitur, ut non ha-  
 beant quod contradicant, & ut multa contradicant,  
 communis tamen sensus iudicio nihil dicant. Exemplis id  
 monstratur melius, Quando Christus Matthæi .22.  
 Sadduceis imposuit silentium, dum adducta scriptura  
 probaret resurrectionem mortuorum ex Mose Exo. 3  
 Ego Deus Abraham & c. Non est Deus mortuorum,  
 sed uiuorum. Hic resistere non poterant, nec quicquam  
 contradicere, Sed nunquid ideo cesserunt, opinione  
 sua? Et quoties Phariseos confutauit euidentissimis  
 scripturis & argumentis, ita ut populus conuictos  
 palam uideret, & ipsimet sentirent? Nihilominus  
 illi perseuerabant aduersarij. Stephanus Actu. 7.  
 sic loquebatur, teste Luca, ut sapientia & spiritui, qui  
 loquebatur, resistere non possent, Sed quid illi fece-  
 runt? nunquid cedebant? Imò, dum pudet uinci, &  
 resistere non possunt, insaniunt, & clausis auribus &  
 oculis, falsos submitunt contra eum testes, Actuum. 8.  
 Idem in concilio stans, uide, quomodo confutet aduer-  
 sarios, cum ab origine populi illius numerasset benefi-  
 cia Dei, & probasset, nunquam templum sibi Deum  
 iussisse condi (Ea enim questione agebatur reus, & is  
 erat status causæ) tandem concedit, sub Salomone fu-  
 isse quidem templum ædificatum, At ibi subsumit in  
 hunc modum, Sed non in manufactis habitat excelsus,  
 Et ad id allegat Esaiam Prophetam .66. Quæ est ista  
 domus, quam ædificatis mihi? Dic, quid poteram hic

E s contra



contra tam manifestam scripturam dicere? nihil tamen  
moti perstabant fixi in sua sententia, Vnde & in eoa  
inuenitur, dicens. Incircumcisi cordibus & auribus,  
semper resististis spiritui sancto &c. Resistere eos  
dicit, qui tamen resistere non poterant.

Ad nostros ueniamus, Iohannes Hus, cum sic in Pa-  
pam differit ex Matth. 16. Porta inferorum non pre-  
ualent aduersus Ecclesiam meam, Est ne hic aliqua ob-  
scuritas uel ambiguitas? Sed aduersus Papam & suos  
preualent porta inferi, ut qui manifesta impietate &  
sceleribus toto orbe nobiles sunt, Est id quoq; obscu-  
rum? Ergo Papa & sui non sunt Ecclesia, de qua Chri-  
stus loquitur. Quid hic contradicerent? aut quo-  
modo resistere ori, quod Christus illi dederat? At  
resisterunt tamen & perstiterunt, donec ipsum exa-  
rerent, tamen abest, ut sensu cederent. Nec Christus  
hoc tacet, cum dicit, Aduersarij non poterunt resi-  
stere, Aduersarij sunt (inquit) ergo resistent, alio-  
qui non aduersarij sed amici fierent, & tamen resi-  
stere non poterunt. Quid est hoc aliud dicere, quam re-  
sistendo non poterunt resistere? Si itaq; & nos libe-  
arbi. sic confutare poterimus, ut aduersarij nequeant  
resistere, etiam si persistant suo sensu, & repugnant  
conscientia resistent, satis fecerimus. Satis enim ex-  
pertus sum, quia nemo uolet uinci, & (ut Quinti-  
lianus ait) nemo est, qui non malit nosse, q̄ discere ui-  
deri, quam uis apud nos id prouerbij omnes, usu potest  
quam



quàm affectu, imò abusu, passim in ore uersent, Opto  
 discere, paratus sum doceri & monitus meliora sequi,  
 Homo sum, errare possum. Quod sub hac larua, pul-  
 chra uelut humilitatis specie, liceat confidenter dice-  
 re, Mihi non est satisfactum, Ego non capio, uim facit  
 scripturis, pertinaciter asserit, Scilicet certi, quod tan-  
 te humilitatis animas nemo suspicetur pertinaciter re-  
 sistere & agnitam quoq; ueritatem fortiter impugna-  
 re. Ita fit, ut non malicia eorum esse oporteat, quod  
 non cedunt sensu suo, sed obscuritatis & ambiguita-  
 tis argumentorum. Sic & Philosophi grecorum fece-  
 runt, ne ullus alteri uideretur cedere, etiam manifeste  
 conuictus, ceperunt negare prima principia, ut Ari-  
 stoteles recitat. Interim nobis & alijs blande persua-  
 demus, Esse multos bonos uiros in terra, qui libenter  
 ueritatem amplexuri sint, si sit, qui clare doceat, nec  
 esse presumendum, tot eruditos, tanta seculorū serie  
 uiros, errasse aut non cognouisse, quasi ignoremus,  
 mundum esse regnū Satanae, ubi praeter naturalem cae-  
 citatem agnatam ex carne, etiam nequissimis spiriti-  
 bus regnantibus super nos, in ipsa caecitate induramur  
 & demoniacis, nec iam humanis tenebris, tenemur.

Si igitur Scriptura (inquis) dilucida est, cur in  
 hac parte tot saeculis excellentes ingenio uiri caecutie-  
 runt? Respondeo, Caecutierunt sic, in laudem & glo-  
 riam libe. arbit. ut ostenderetur illa magnifice iacta-  
 ta uis, qua se homo applicare potest ad ea, quae sunt  
 salutis



salutis aeternae, scilicet, quae nec uisa uidet, nec audita  
 audit, multo minus intelligit uel appetit. Huc enim  
 pertinet, quod Christus ex Esaia & Euangelistae testi-  
 monia afferunt, Audientes audietis & non cognoscetis,  
 & uidentes non uidebitis. Quid hoc est aliud, quam  
 lib. arb. seu cor humanum sic esse Satanae potentia op-  
 pressum, ut nisi spiritu Dei mirabiliter suscitetur, per  
 sese, nec ea uidere possit, nec audire, quae in ipsos oculos  
 & in aures manifeste impingunt, ut palpari possint  
 manu? tanta est miseria & caecitas humani generis,  
 Sic enim & ipsi Euangelistae admirati, qui ferretur  
 ut Iudaei operibus & uerbis Christi, quae plane fuerunt  
 irrefragabilia & innegabilia, non caperentur,  
 isto scripturae loco sibi respondent, scilicet, quod homo  
 sibi relictus, uidens non uidet, et audiens non audit.  
 Quid monstruosius? Lux (inquit) lucet in tenebris &  
 tenebrae non comprehendunt, Quis hoc crederet?  
 Quis similia audiuit? Lucere in tenebris lucem, &  
 tamen tenebras manere tenebras nec illustrari? Proinde  
 non est hoc mirum in rebus diuinis, quod tot saeculis,  
 uiri excellentes ingenio cecutiunt, in rebus humanis  
 mirum esset, in rebus diuinis, mirum potius, si unus  
 & alter non cecutiatur, Non mirum uero, si plane omnes  
 cecutiunt. Quid enim est uniuersum genus humanum,  
 extra spiritum, nisi regnum Diaboli (ut dixi)  
 confusum chaos tenebrarum? Unde Paulus Demones  
 appellat, rectores harum tenebrarum. Et .i. Cor. 1.  
 dicit,



dicit, Nemo principum huius mundi cognouit Dei sa-  
 pientiam, Quid putas de reliquis sentiet, qui princi-  
 pes mundi asserat tenebrarum seruos? Per principes  
 enim intelligit primos & summos in mundo, quos tu  
 excellentes ingenio uocas. Cur cecutierunt Arriani  
 omnes? An non fuerunt ibi uiri ingenio excellentes?  
 Cur gentibus Christus est stultitia? an inter gentes non  
 sunt uiri excellentes ingenio? Cur Iudæis est scandalū?  
 an non fuerunt inter Iudæos uiri excellentes ingenio?  
 Deus scit (ait Paulus) cogitationes sapientum, quo-  
 niam uanæ sunt, Noluit dicere hominum, ut ipse tex-  
 tus habet, primos & principes inter homines signifi-  
 cans, ut ex ijs reliquos homines æstimemus. Sed hæc  
 infra latius fortasse, Satis sit exordio præmisisse,  
 Scripturas esse clarissimas, quibus nostra sic possunt  
 defendi, ut aduersarij non queant resistere, Quæ uero  
 sic defendi non possunt, aliena & non Christianorum  
 sunt. Si uero sunt, qui hanc claritatem non uideant  
 & in isto sole cecutiunt uel offendunt, ij si sunt im-  
 pij, declarant, quanta sit maiestas & potentia Sata-  
 ne in filijs hominum, ut clarissima uerba Dei neq; au-  
 diant, neq; capiant, uelut si præstigio illusus quispiam  
 solem putet esse carbonem frigidum, aut lapidem sen-  
 tiat esse aurum. Si pij sunt, inter illos electos cense-  
 antur, qui in errorem ducuntur aliquanto, ut declare-  
 tur uirtus Dei in nobis, sine qua nec uidere, nec pror-  
 sus quicquam possumus. Non enim imbecillitatis in-  
 genij est



genij est (ut tu causaris) ne uerba Dei captatur, imò ni-  
 hil aptius capiendis uerbis Dei imbecillitate ingenij,  
 propter imbecilles .n. et ad imbecilles Chrüs et uerbo  
 et mittit uerbū suum, sed nequitia Satanae est in nostra  
 imbecillitate sedentis, regnantis ac Dei uerbo resisten-  
 tis, Ni Satanas faceret, uno sermone Dei semel audire  
 totus mūdus hominū cōuerteretur, nec pluribus opus  
 Et quid multis ago? Cur nō simul cū hoc exor-  
 dio finitus causam et cōtra te ipsum, tuis ipsius uerbis  
 firmus sententiā, secundū illud Christi, Ex uerbis tuis  
 iustificaberis, ex uerbis tuis condemnaberis? Tu enim  
 dicis, Scripturā hic nō esse dilucidā, Deinde sententiā  
 suspensa, in utraq; partē disputas, Quid pro, quid cō-  
 tra dici possit, praeterea nihil agis toto isto libello, quā  
 ob eandā causam, Diatriben potius q̄ Apophasin uel  
 aliud appellare uoluisti, quod omnia collaturus, nihil  
 affirmaturus scriberes. Si igitur dilucida scriptura non  
 est, cur hic, nō modo cæcutiunt, sed temere et stulte de-  
 finiunt et asserunt lib. arb. uelut ex certa & dilucida  
 scriptura, illi, quos iactas? uidelicet, tam numerosa se-  
 ries eruditissimorū uirorū, quos in hunc usq; diem ut  
 saeculorū consensus approbavit, quorū plerorūq; pra-  
 ter admirabilem sacrarū literarū peritiā, uitā quoq;  
 pietas commendat, quidam doctrinā Christi, quam  
 scriptis defenderant, sanguine suo testimonium reddi-  
 derunt. Si ex animo ista loqueris, fixū est apud te, lib.  
 arb. habere assertores, mirabili literarum sacrarum  
 peritā



peritiam praeditos, ita ut sanguine suo illud quoque testati  
 sint. Quod si uerum est, dilucidam illi habebant scrip-  
 turam, alioqui, quae esset illa admirabilis peritia litera-  
 rum sacrarum? Deinde, quae leuitas & temeritas ani-  
 mi, sanguinem fundere pro re incerta & obscura? Hoc  
 enim non martyrum Christi, sed demonum est. Iam &  
 tu pone ob oculos & tecum expende, utrum plus tri-  
 buendum esse iudices, tot cruditorum, tot orthodoxo-  
 rum, tot sanctorum, tot martyrum, tot ueterum ac re-  
 centium theologorum, tot academiarum, tot concilio-  
 rum, tot Episcoporum et summorum Pontificum prae-  
 iudicijs, qui scripturas dilucidas esse senserunt, et id tui  
 scriptis tui sanguine confirmauerunt, an tuo unius pri-  
 uato iudicio, qui negas scripturas esse dilucidas, qui  
 forte nec unam unquam lachrymam uel suspirium pro  
 doctrina Christi emisisti? Si illos recte sensisse credis,  
 cur non imitaris? Si non credis, cur iactas tanta bucca?  
 tanta copia, quasi me obruere uelles tempestate & di-  
 luuio quodam orationis, quod tamen in caput tuum  
 fortius inundat, arca uero mea in sublimi fertur secu-  
 ra? Nam tu tot tantisque uiris simul tribuis summam &  
 stultitiam & temeritatem, dum illos scribis scripturae  
 peritissimos, stilo, uita morte illa asseruisse, quam ta-  
 men obscuram & ambiguam esse contendis, hoc est  
 diu nihil, quam illos facere imperitissimos cognosce-  
 do & stultissimos asserendo. Sic illos non honorassem  
 ego priuatus ille contemptor, ut tu facis publicus ille  
 laudator.

Cornutus



Cornuto igitur (quod aiunt) hic te syllogismo teneo, Vtrum enim falsum esse oportet, Vel illud quod dicis, illos fuisse admirabiles peritia sacrarum literarum, uita & martyrio, Vel illud quod dicis, Scripturam non esse dilucidam. Verum cum huc potius recipiaris, ut scripturas non dilucas esse credas (hoc enim toto libello agis) reliquum fit, ut uel animi uel adulandi gratia, nequaquam serio illos dixeris peritissimos scripturae & martyres Christi, tantum ut uidi uulgo fucum, Luthero autem negocium faceres, & causam eius inanibus uerbis grauares odio & contemptu. Ego uero neutrum uerum, sed utrumque falsum dico. Primum, scripturas esse lucidissimas. Deinde illos quatenus lib. arb. asserunt, esse imperitissimos sacrarum literarum, tum illud neque uita, neque morte, solum uero stilo, sed peregrinante animo, asseruisse. Quare hanc disputatiunculam sic concludo, Per scripturam, ut obscuram, haecenus nihil certi definitum est, nec definiiri potest, de lib. arbi. te ipso teste. Per uitam uero omnium hominum ab initio mundi nihil est ostensum pro lib. arb. ut superius est dictum. Docere igitur aliquid, quod intra scripturas non est ullo uerbo praescriptum, & extra scripturas non est ullo facto monstratum, hoc non pertinet ad dogmata Christianorum, sed ad narrationes ueras Luciani, nisi quod Lucianus ioco & prudenter rebus ludicris ludens, neminem fallit neque laedit. Isti uero nostri, re seria &

qua ad

*ad hunc lib. arb. disputatum*



que ad eternam salutem pertinet, insaniunt in perditione innumerabilium animarum. Sic & ego absoluerim totam hanc questionem de lib. arb. etiam testimonio aduersariorum mecum faciente & illis ipsis pugnante, cum fortior probatio nulla sit, quam ipsius qui reus est, propria confessio & testimonium contra seipsum, Verum quia Paulus precipit uaniloquos epistomisum, causam ipsam aggrediamur, & ordine quo incedit Diatribe, rem tractemus, ut primum confutemus argumenta pro lib. arb. adducta, deinde confutata nostra defendamus, tandem contra lib. arb. pro gratia Dei pugnemus.

Ac primum ab ipsa definitione recte faciemus initium, Quia sic definit lib. arb. Porro lib. arb. hoc loco sentimus, uim humane uoluntatis, qua se possit homo applicare ad ea, que perducunt ad eternam salutem, aut ab ipsis auertere. Prudenter sane definitio a te nuda ponitur, nec ulla eius particula (ut mos est aliorum) declaratur, quod naufragium non unum forte ueritus sis, Cogor itaq; ego singulas discutere. Ipsum certe definitum, si rigide examinetur, latius patet quam definitio, qualem definitionem Sophista uiosam dicerent, quoties uidelicet definitio, non explet definitum, Nam superius ostendimus, libe. arbi. nemini nisi soli Deo conuenire. Arbitrium fortassis homini aliquod recte tribueris, sed liberum tribuere in rebus diuinis, nimum est, Quod liberi arbitrij uox,  
 G onium au



omnium aurius iudicio proprie id dicitur, quod potest & facit erga Deum, quaecumq; libuerit, nulla lege, nullo imperio cohibitum, Neq; enim seruum dixeris liberum, qui sub imperio domini agit, quanto minus hominem uel angelum recte liberum dicimus, qui sub imperio plenissimo Dei (ut peccatum & mortem taceam) sic degunt, ut ne momento consistere suis uiribus possint. Igitur hic statim in foribus pugnant definitio quid nominis, & definitio quid rei, quod uox aliud significat & aliud re ipsa sentitur, Rectius uero Verabile arbitrium uel mutabile arbitrium diceretur, Nam sic Augustinus & post eum Sophista, gloriam & uirtutem istius uocis (Liberum) extenuant, adiecto illo detrimento, quod uertibilitatem lib. arbitrij dicunt. Atq; ita deceret nos loqui, ne inflatis & inaniter fastuosis uocabulis, corda hominum ludemus, ut & Augustinus sentit, Nos ad certam regulam, sobrijs & proprijs uerbis debere loqui, In docendo enim simplicitas & proprietates dialectica requiritur, non autem ampullae & figurae rhetoricae persuasionis. Sed ne uerbi pugna delectari uideamur, donemus interim id abusu, licet magno & periculoso, ut idem sit liberum arbitrium, quod uertibile arbitrium. Donemus & illud Erasmo, quod lib. arb. uim facit humanae uoluntatis, ac si angelorum non sit lib. arb. quod hoc libello solum de hominum lib. arb. agere instituit, alioqui & in hac parte definitio fuerat arctior quam definitum.

Ad eas



Ad eas partes ueniamus, in quibus rerum cardo uertitur, quarum aliquae satis apertae sunt, aliae lucem fugiunt, uelut sibi consciæ nihil non metuant, cum nihil definitione apertius & certius edi debeat, obscure enim definire, perinde est ac nihil definire. Aperte sunt illae, Vis humanae uoluntatis, Item, Quae se potest homo, Item, Ad aeternam salutem, Sed Andabatae sunt istae, Applicare, Item, Ad ea quae perducunt, Item, Auertere, Quid igitur esse diuinabimus, illud applicare? Item illud auertere? Item, quid sunt illa, quae ad aeternam salutem perducunt? Quo se proripiunt illa? Mihi, ut uideo, cum uero Scoto aut Heraclito res est, ut duplici labore fatiger. Primum, ut aduersarium in foueis & tenebris (quod facinus & audax & periculosum est) palpitans & tentans queritem, ac nisi inuenero, frustra & cum laruis pugnem, aeraque in tenebris uerberem. Deinde si produxero, in lucem tum demum iam querendo fessus, aequo Marte manus conferam. Vim igitur uoluntatis humanae dici, credo, potentiam uel facultatem uel habilitatem uel aptitudinem uolendi, nolendi, eligendi, contemnendi, approbandi, refutandi & si quae sunt aliae uoluntatis actiones, iam quid sit eandem uim sese applicare & auertere, non uideo, nisi ipsum uelle & nolle, eligere, contemnere, probare, refutare, ipsam scilicet actionem uoluntatis, ut fingamus, Vim illam esse medium quiddam inter uoluntatem ipsam & actionem suam,

¶ 2 ut qua



ut qua uoluntas ipsa actionem uolendi & nolendi elicit, & qua ipsa actio uolendi & nolendi elicitur, Aliud hic nec fingere nec cogitare datur, Si fallor, culpa sit authoris, qui definiuit, non mea, qui inuestigo, Recte enim dicitur apud Iuristas, Verba obscure loquentis, cum potuerit clarius dicere, interpretanda esse contra ipsum. Et hic interim Modernos meos ignorare uolo cum suis subtilitatibus, Crasse enim dicendum est, gratia docendi & intelligendi. Ea uero, quæ ad æternam salutem perducunt, arbitror esse, Verba & opera Dei, quæ offeruntur uoluntati humanae, ut eisdem sese applicet uel auertat. Verba autem Dei dico, tam legem quam Euangelion, Lege exiguntur opera, Euangelio fides, Nulla enim sunt alia quæ uel ad gratiam Dei, uel ad salutem æternam perducunt, nisi uerbum & opus Dei, Siquidem gratia uel spiritus est ipsa uita, ad quam uerbo & opere diuino perducimur.

Hæc autem uita uel salus æterna, res est incomprehensibilis captui humano, sicut Paulus ex Esaiæ refert. 1. Corinth. 2. Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Nam & is inter summos articulos fidei nostræ numeratur, ubi dicimus, Et uitam æternam. Quid uero in isto articulo ualeat lib. arb. Paulus testatur. 1. Corinth. 2. Deus (inquit) nobis ea reuelauit per spiritum suum. q. d. nisi spiritus reuelarit,



lavit, nullius hominis cor quicquam de ea re nosset  
aut cogitaret, tantum abest, ut sese applicare ad id  
uel appetere possit. Vide experientiam, quid excel=  
lentissima ingenia inter gentes de uita futura & resur=  
rectione senserint, Nonne quo excellentiores ingenio  
fuerunt, eo magis ridiculum illis fuit resurrectio &  
uita aeterna? Nisi non fuerunt ingeniosi Philosophi  
illi & Graeci, qui Athenis Paulum haec docentem sper=  
mologon & nouorum Daemoniorum assertorem di=  
cebant. Portius Festus Actuum .24. Paulum insanum  
clamabat, ob praedicationem aeternae uitae, Quid Pli=  
nius de ijs rebus latrat lib. 7? Quid Lucianus, tan=  
tum ingenium? Stupidi ne illi fuerunt? Deniq; adhuc  
hodie pleriq;, quo sunt maiore ingenio & eruditio=  
ne, hoc magis rident eum articulum & fabulam esse  
putant, idq; palam, Nam occulte nullus plane homi=  
num, nisi spiritu sancto perfusus, nouit, credit aut op=  
tat salutem aeternam, etiam si uoce & stilo iactent,  
Atq; utinam eodem fermento & tu & ego liberi esse=  
mus, Mi Erasme, tam rarus est in hoc articulo fidelis  
animus. Habeo ne definitionis huius sensum?

Igitur Erasmo authore, Liberum arbit. est uis uo=  
luntatis, quae potest a se ipsa uelle & nolle uerbum  
& opus Dei, quibus ducitur ad ea, quae excedunt &  
captum & sensum eius. Si uero potest uelle & nolle,  
potest & amare & odisse. Si amare & odisse, po=  
test & aliquantulum facere legem & credere Euan=  
gelio,



gelio, Quia impossibile est, si aliquid uelis aut nolis,  
 ut non aliquid operis ea uoluntate possis, etiam si pro-  
 hibente alio, perficere non possis. Iam cum inter ope-  
 ra Dei, quae ad salutem perducunt, mors, crux, &  
 omnia mala mundi numerentur, poterit humana uo-  
 luntas & mortem & sui perditionem uelle, Quin  
 omnia uelle potest, dum uerbum & opus Dei uelle  
 potest, Quid enim infra, supra, intra, extra uerbum  
 & opus Dei, nisi Deus ipse, usquam esse potest? Quid  
 autem hic relinquitur gratiae & spiritui sancto? Hoc  
 plane est diuinitatem lib. arbi. tribuere, siquidem le-  
 gem & Euangelion uelle, peccatum nolle & mortem  
 uelle, diuina uirtutis est solius, ut Paulus non uno loco  
 dicit, Proinde nemo post Pelagianos rectius de libero  
 arbitrio scripsit, quam Erasmus. Diximus enim su-  
 perius, liberum arbitrium esse diuinum nomen ac di-  
 uinam uirtutem significare, Hanc uero nemo illi tribuit  
 haecenus praeter Pelagianos, Sophistae enim quicquid  
 sentiant, longe aliter certe loquuntur, Quin Pelagia-  
 nos quoque longe superat Erasmus, illi enim toti libero  
 arbitrio eam diuinitatem tribuunt, Erasmus dimidio,  
 siquidem illi faciunt liberi arbitrij duas partes, uim  
 discernendi & uim eligendi, alteram rationi, alteram  
 uoluntati affingentes, quod & Sophistae faciunt. Sed  
 Erasmus, posthabita discernendi ui, solam extollit  
 uim eligendi, ita claudum ac semliberum arbitrium,  
 Deum facit, Quid putas erat facturum, si totum  
 liberum



liberum arbitrium fuisset descripturus?

Sed non hoc contentus, Philosophos etiam excēdit, Apud illos enim nondum definitum est, an aliquid seipsum possit mouere, ibiq; toto corpore Philosophic dissentiunt Platonici & Peripatetici, Sed apud Erasmus, libe. arbit. suapte uise non modo mouet, sed applicat, etiam ad ea, quæ sunt æterna, id est, incomprehensibilia sibi, plane nouus & inauditus definitor lib. arb. qui Philosophos, Pelagianos, Sophistas, & omnes longe post se relinquit. Nec hoc satis, nec sibi parcat, sibiq; ipsi plus q̄ omnibus alijs disidet & pugnat, Antea enim dixerat, Voluntatem humanam prorsus esse inefficacem sine gratia (nisi hoc ioco dixerit) hic uero ubi serio definit, dicit, humanam uoluntatem habere eam uim, qua efficax sit applicare sese ad ea, quæ sunt salutis æternæ, id est, quæ sunt incomparabiliter supra uim illam. Ita & seipso quoq; superior est hac parte Erasmus, Vides ne, Mi Erasme, hac definitione te ipsum prodi (imprudenter credo) quod harum rerum nihil omnino intelligis, uel prorsus incogitans & contemnens, de illis scribas, ignarus quid loquaris uel quid affirmes? Et ut supra dixi, minus dicis & plus tribuis lib. arb. quàm omnes alij, dum neq; totum lib. arb. describis, omnia tamen illi tribuis. Tolerabilius longe tradunt Sophistæ, uel saltem patrum eorum Petrus Longobardus, qui liberum arbitrium dicunt esse facultatem discernendi, deinde & eligendi,

G 4 boni qui=



boni quidem, si asit gratia, mali uero, si desit gratia, planeq; cum Augustino sentit liberum arbitrium, si apte ui, non posse nisi cadere, nec ualere nisi ad peccandum, Vnde & seruum potius quam liberum arbitrium uocat Augustinus libro .z. contra Iulianum. Tu uero utrinq; parem uim facis liberi arbitrij, quod si apte sine gratia ui, & sese applicare possit ad bonum, & sese auertere a bono. Non enim cogitas, quam magnum tribuas illi hoc pronomine, SE uel SEIP-SAM, dum dicis, potest SE applicare, prorsus scilicet excludis spiritum sanctum cum omni uirtute sua, tanquam superfluum & non necessarium. Damnablem igitur est tua definitio etiam apud Sophistas, qui nisi inuidia excæcati in me sic insanirent, in tuum libellum furerent potius, Nunc quia Lutherum petis, etiam si contra te ipsum & illos dicas, nihil nisi sanctum & catholicum dicis, tanta est patientia sanctorum uirorum.

Non hæc dico, quod Sophistarum sententiam de lib. arb. probem, sed quod tolerabiliorem esse duceam quam Erasmi, propius enim accedunt ad ueritatem, Non enim illi liberum arbitrium, sicut ego, nihil esse dicunt, tamen cum sine gratia ipsum nihil posse dicunt, presertim Magister Sententiarum, pugnant Erasmo, imò uidentur sibiipsis quoq; pugnare, & sola uerbi controuersia torqueri, contentions cupidiores quam ueritatis, sicut decet Sophistas, Nam fuge mihi



tibi Sophistan minime malum dari, cum quo semotus  
 similiari colloquio ista conferrem & candidum ac li-  
 berum iudicium postularem in hunc modū, Si quispiā  
 tibi id liberum esse diceret, quod sua uirtute non nisi  
 in alteram partem possit, scilicet in malam, In alteram  
 uero, nempe in bonam partem, possit quidem, sed non  
 sua uirtute, imò alterius duntaxat auxilio, possis etiam  
 tenere risum amice? Nam sic lapidem aut truncum  
 facile obtinebo habere libe. arbit. ut qui & sursum  
 & deorsum uergeri potest, sed ui sua, non nisi deorsum,  
 alterius uero solum auxilio sursum, Et ut supra  
 dixi, tandem dicemus, inuerso omnium linguarum &  
 uerborum usu, Nullus est omnes, Nihil est omnia, re-  
 ferendo alterum ad rem ipsam, alterum ad alienam,  
 qua adesse sibi & accidere possit. Sic & libe. arbit.  
 nimium disputando tandem per accidens liberum faci-  
 unt, ut quod possit liberari aliquando per alium.  
 Questio autem est per se & de substantia libertatis  
 arbit. Hæc si soluenda est, nihil nisi inanis uox lib. arbit.  
 reliqua sit, uelint, nolint. Deficiunt & in hoc So-  
 phista, quod libe. arbit. uim discernendi boni à malo  
 tribuunt. Item, regenerationem & inuolutionem spi-  
 ritus premunt, ac uelut externe auxilium illud alic-  
 num illi affingunt, de quo postea, Sed hæc de diffini-  
 tione satis. Nunc argumenta uideamus, in flatu in-  
 anem illam uoculam.

Primum est illud Ecclesiastici .15. Deus ab initio

- G 5 constituit



constituit hominem, & reliquit illum in manu consiliij sui, Adiecit mandata & precepta sua, Si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare, Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod uolueris, porrige manum tuam, Ante hominem uita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Licet recusare possim iure huius librum, tamen interim recipio, Ne cum iactura temporis me inuoluam disputationi, de receptis libris in Canone Ebraeorum, quem tu non nihil mordes ac rides, dum prouerbia Salomonis & Canticum (ut scemate ambiguo uocas) amatorium, comparas cum libris duobus Esre, Iudith, historia Susanna & Draconis, Esther, quamuis hunc habeant in Canone, dignior omnibus, me iudice, qui extra Canonem habetur. Responderem uero breuiter tuis ipsius uerbis, Scriptura hoc loco obscura est & ambigua, ideo nihil certi probat, Nos autem cum in negatiua stemus, exigimus a uobis locum produci, qui claris uerbis conuincat, quid sit & quid possit liberum arbitrium. Hoc facietis forte ad Calendas graecas. Quamuis tu, ut hanc necessitatem fugias, multa bona uerba perdis, dum super aristas incedis, recitans tot opiniones de libero arbitrio, ut Pelagium penè facias Euangelicum, Item, quadruplicem gratiam fingis, ut etiam Philosophis quendam fidem & charitatem tribuas. Item, triplicem illam legem, naturae, operum, fidei, fabulam scilicet



falleret, nouam, ut conuenire uehementer asseras Phi-  
 losophorum præcepta Euangelicis præceptis, Tum  
 illud Psalm. 4. Signatum est super nos lumen uultus  
 tui Domine, qui de cognitione ipsius uultus Dei, id  
 est, fide loquitur, ad rationem excaecatam applicas.  
 Que si quis Christianus omnia conscrat, cogitur su-  
 picari, te ludere & ridere Christianorum dogmata  
 & religionem, Nam tantam ignorantiam ei tribuere,  
 qui sic nostra omnia perlustrauit, tanta diligentia &  
 memoria conseruauit, mihi plane est difficillimum. Sed  
 interim abstinere, indicasse contentus, donec occasio  
 sese dignior obtulerit. Quanquam te oro, Mi Erasme,  
 ne sic nos tentes, uelut unus illorum, qui dicunt, quis  
 uidet nos? neque tutum est in re tanta, uerborum uer-  
 tumnis perpetuo ludere apud quoslibet, Sed ad rem.

Ex una sententia de libe. arbit. triplicem fingis,  
 Dura tibi uidetur eorum, sed tamen satis probabilis,  
 qui negant hominem posse uelle bonum sine peculi-  
 ari gratia, negant posse incipere, negant posse pro-  
 gredi, perficere &c. hanc probas ideo, quod  
 relinquat homini studium & conatum, sed non  
 relinquat, quod suis uiribus asseribat. Durior  
 eorum, qui contendunt, libe. arbit. nihil ualere  
 nisi ad peccandum, solam gratiam in nobis operari  
 bonum &c. Durissima uero illorum, qui dicunt no-  
 men inane esse libe. arb. sed Deum tam bona quam  
 mala in nobis operari, meræque necessitatis esse omnia,  
 quæ



quæ sunt. Aduersus has postremas profiteris te scribere. Scis etiam quid loquaris, Mi Erasme? Tres sunt hic opiniones uelut trium sectarum, quod re eandem, alijs & alijs uerbis uarie dissertam à nobis eisdem & unius sectæ professoribus, non intelligi. Sed moneamus & ostendamus tibi oscitantem uel libertudinem iudicij tui. Rogo, Definitio lib. arbi. à te data superius, quomodo quadrat huic primæ opinionis satis probabilis? Dixisti enim lib. arb. esse uim uoluntatis humane, qua se homo applicare potest ad bonum. Hic uero dicis & probas dici, hominem sine gratia non posse uelle bonum, Definitio affirmat, quod exemplum eius negat, inueniturq; in tuo lib. arb. sum. Est & Non, ut simul nos & probes & damnes, in sum quoq; damnes & probes in uno eodemq; dogmate & articulo. An putas, non esse bonum, applicare sese ad ea, quæ sunt salutis æternæ, quod definitio tua tribuit lib. arbitrio? cum nihil sit opus gratia, si tantum bonum esset in lib. arbitrio, quo se ipsum applicare posset ad bonum. Itaq; aliud est lib. arbitrium quod definis, & aliud quod defendis. Habes nunc Erasmus duo libera arbitria, præ cateris sibi prorsus pugnantia.

Sed dimisso illo, quod definitio finxit, hoc quod contrarium ipsa opinio proponit, uideamus, Concedis hominem sine gratia peculiari non posse uelle bonum (neq; enim nunc disputamus, quid gratia Dei possit,



possit, sed quid homo sine gratia possit) Concedis  
 ergo lib. arbitrium non posse uelle bonum, hoc est  
 aliud nihil quam non posse sese applicare ad ea, que  
 sunt salutis eterne, ut tua cecinit definitio, Quin pau-  
 lo ante dicis, uoluntatem humanam post peccatum sic  
 esse deprauatam, ut amissa libertate cogatur seruire  
 peccato, nec possit se reuocare ad meliorem frugem,  
 Et nisi fallor, huius sententiæ facis Pelagianos fuisse.  
 Arbitror hic iam nullum Protheo patere effugium,  
 Apertis uerbis captus tenetur, Scilicet, Voluntatem  
 amissa libertate cogi ac teneri in seruitute peccati. O  
 egregie liberum arbitrium, quod amissa libertate,  
 seruum peccati ab ipso Erasmo dicitur, Quod cum  
 Lutherus diceret, nihil absurdius auditum erat, nihil  
 inutilius hoc paradoxo inuulgari potuit, ut etiam  
 Diatribas in eum scribi oporteret. Sed forte mihi  
 nemo credet, ista ab Erasmo dici, Legatur hoc loco  
 Diatribe & mirabitur. Ego tamen non ualde miror,  
 Qui enim hanc rem non habet seriam, neq; causæ ali-  
 quanto afficiunt, sed prorsus animo alienatus, tedet  
 uel friget, uel nauseat, quomodo is non passim diceret  
 absurda, inepta, pugnantia, dum uelut æbrius uel  
 dormitans causam agat, interq; strertendum ructuat,  
 Est, Non, dum uarie uoces auribus eius obstrepunt?  
 Ideo Rhetores exigunt affectum in actore causarum,  
 multo magis Theologia talem exigit, qui uigilem,  
 acrem, intentum, prudentem & strenuum reddat.

Si igitur



Si igitur lib. arb. citra gratiam, amissa libertate  
 cogitur seruire peccato, nec potest bonum uelle, opo-  
 tarim ego scire, quod sit illud studium? Quis ille co-  
 natus, quem relinquit prima illa & probabilis opi-  
 nio? Bonum studium, bonus conatus esse non potest,  
 quia non potest uelle bonum, ut dicit opinio & con-  
 cessum est, Malum igitur studium, malus conatus re-  
 linquitur, qui amissa libertate cogitur seruire pecca-  
 to. Imò quid est & hoc dicere, quæso? Relinquitur stu-  
 dium & conatum opinio ista, non tamen relinquitur,  
 quod uiribus suis ascribatur? Quis hæc animo con-  
 cipere potest? Si studium & conatus uiribus libe-  
 arbi. relinquuntur, cur non eisdem ascriberentur?  
 Si non ascribentur, quomodo relinquuntur? An stu-  
 dium & conatus ille ante gratiam, etiam ipsi future  
 gratiæ & non libe. arbi. relinquuntur, ut simul &  
 relinquuntur & non relinquuntur eidem lib. arbitrio?  
 Si hæc non sunt paradoxa, uel potius monstra, quid  
 tum sunt monstra? Sed hoc forte somniat Diatribe,  
 inter hæc duo, posse uelle bonum, non posse uelle bon-  
 num, dari medium, quod sit absolutum Velle, nec boni  
 nec mali habito respectu, ut sic argutia quadam Dia-  
 lectica scopulos euadamus & dicamus, in uoluntate  
 hominis esse quoddam uelle, quod in bonum quidem  
 sine gratia non potest, nec tamen sine gratia statim non  
 nisi malum uelit, sed sit purum & merum uelle, per  
 gratiam sursum ad bonum, per peccatum deorsum  
 ad malum



ad malum uertibile. Sed ubi tum illud manet, quod  
 dictum est, amissa libertate cogitur seruire peccato?  
 Vbi tum illud studium, quod relinquitur & conatus?  
 ubi uis applicandi ad ea, quae salutis aeternae sunt? Neq;  
 enim uis ea applicandi ad salutem potest esse purum  
 uelle, nisi salus ipsa nihil esse dicatur, Deinde studium  
 & conatus quoq; purum uelle esse non potest, cum  
 aliquo (puta ad bonum) niti & conari, & non in  
 nihilum ferri uel quiescere studium possit. Summa,  
 quorsum quorsum sese uerterit Diatribe, non potest  
 contradictionibus & pugnantibus dictis elabi, ut non  
 tam ipsum liberum arbitrium, quod defendit, capti-  
 uum sit, quam ipsa captiua est, Sic enim in liberando  
 arbitrio irretitur, ut cum libero arbitrio insolubili-  
 bus uinculis teneatur.

Deinde hoc merū figmentū Dialecticū est, q; in homi-  
 ne sit medium & purū uelle, nec possum probare, qui  
 id asserunt, Ex ignorantia rerū, & obseruantia uoca-  
 bulorū natum est, quasi continuo sic sit in re, sicut dis-  
 ponitur in uocabulis, qualia sunt infinita apud Sophi-  
 stas. Sic potius res habet, ut Chrūs ait, Qui non est me-  
 cū, contra me est, Non ait, Qui non est mecū, nec con-  
 tra me, sed in medio est. Quia si Deus in nobis est, Sa-  
 tan abest, et non nisi uelle bonū adest, Si Deus abest, Sa-  
 tan adest, nec nisi uelle malum in nobis est, Nec Deus  
 nec Satan, merū et purū uelle sinunt in nobis, sed sicut  
 recte dixisti, amissa libertate cogimur seruire peccato  
 hoc est,



hoc est, nos uolumus peccatum & malum, loquimur  
 peccatum & malum, facimus peccatum & malum.  
 Vide huc perpulit Diatriben imprudentem, inuincibilis  
 & potentissima ueritas, & stultam fecit sapientiam  
 eius, ut contra nos dictura, pro nobis contra se  
 dicere cogeretur, non aliter quam facit lib. arbitrium  
 aliquid boni, tum enim contra malum faciendo, maxime  
 contra bonum male facit, ut Diatribe ipsa talis sit  
 in dicendo, quale est lib. arb. in faciendo, Quamquam  
 & ipsa Diatribe tota aliud nihil sit, quam egregium  
 opus liberi arbitrij, defendendo damnans, & damnando  
 defendens, hoc est, bis stulta, dum sapiens uult  
 uideri.

Sic habet prima opinio sibi ipsa comparata, ut  
 neget, quicquam boni posse uelle hominem, & tamen  
 relinqui studium, quod tamen suum quoque non sit. Iam  
 comparemus eam reliquis duabus, Altera enim illa  
 durior, est, quae sentit lib. arbi. nihil ualere nisi ad  
 peccandum, Hec uero est Augustini, ut multis alijs  
 locis, tum proprie libello de spiritu & litera, capit.  
 nisi fallor, quarto aut quinto, ubi illis ipsis uerbis utitur.  
 Tertia illa durissima, est ipsius Viglephi & Lutheri,  
 esse lib. arb. inane nomen, omniaque quae sunt,  
 esse merae necessitatis, Cum his duabus consistatur  
 Diatribe, Hic dico, forte non sumus satis Latini uel  
 Germani, ut rem ipsam non potuerimus edisserere,  
 Sed testor Deum, aliud nihil uolui dicere, nec aliud  
 intelligi



intelligi per uerba duarum postremarum opinionum,  
 quam id quod dicitur in prima opinione, Nec Augu-  
 stinum aliud uoluisse arbitror, nec aliter ex ipsius uer-  
 bis intelligo, quam quod prima dicit opinio, ita ut tres  
 opiniones a Diatribe recitatae, apud me non sint nisi  
 una illa mea sententia. Postquam enim concessum ac-  
 ratum est, lib. arbitrium, amissa libertate, cogi in ser-  
 uitate peccati, nec posse quicquam uelle boni, ego ex  
 his uerbis nihil aliud possum concipere, quam libe-  
 arb. esse inanem uoculam, cuius res amissa sit, Amissam  
 libertatem mea grammatica uocat nullam libertatem,  
 Tribuere autem libertatis titulum ei, quod nullam ha-  
 bet libertatem, est tribuere inane uocabulum. Si hic  
 erro, reuocet qui potest, Si sunt haec obscura & am-  
 bigua, illustret & stabiliat qui potest, Ego sanitatem  
 amissam, non possum sanitatem appellare, nec si aegro-  
 to eam tribuero, aliud tribuisse uideor quam inane  
 nomen.

Sed facessant monstra uerborum, Quis enim ferat  
 istum abusum loquendi, ut hominem simul habere li-  
 berum arbitrium dicamus, & simul amissa libertate  
 cogi in seruitute peccati, ac nihil boni posse uelle, asse-  
 ramus? pugnant haec communi sensui, & tollunt  
 prorsus usum loquendi. Diatribe potius accusanda  
 est, que dormitanter sua uerba effutit, & aliena non  
 obseruat, Non, inquam, considerat, quid sit & quan-  
 tum ualeat dicere, Homo amisit libertatem, cogitur  
 seruire



seruire peccato, nec potest quicquam uelle boni, si enim uigilaret & obseruaret, plane uideret, unam esse trium opinionum sententiam, quas diuersas & pugnantis facit. Nam qui amisit libertatem & cogitur seruire peccato, nec potest uelle bonum, quid de illo rectius inferetur, quam necessario illum peccare uel malum uelle? Sic enim & Sophista concluderent per suos syllogismos. Quare diatribe infeliciter nimis constitatur contra duas postremas, dum primam probat, quae eadem est cum illis, iterum more suo sese damnando & nostra probando in uno eodemque articulo.

Veniamus nunc ad locum Ecclesiastici & cum ipso quoque comparemus primam illam probabilem opinionem. Opinio dicit lib. arb. non posse uelle bonum, Locus autem Ecclesiastici adducitur ad prodandam lib. arb. aliquid esse & posse. Aliud igitur statuit opinio per Ecclesiasticum confirmanda, & ad aliud allegatur Ecclesiasticus confirmandus, tanquam si quis probaturus sit, Christum esse Messiam, adducat locum, qui probat Pilatum fuisse praesidem Syriae, aut aliud quippiam, quod dis diaphonon conueniat. Sic & hic probatur lib. arbitrium, ut taceam, quod supra exegi, nihil clare certoque dici, aut probari, quid sit, quid possit lib. arbitrium. Sed dignum est totum eum locum peruidere. Primo dicit (Deus constituit hominem ab initio) hic de creatione hominis loquitur, nec adhuc quicquam uel de lib. arb. uel de praecipuis dicit. Sequitur (Et reliquit eum in manu consilij sui)



(sui) Quid hic? an hic lib. arb. astruitur? At ne hic quid sit mentio de praeceptis, pro quibus lib. arb. exigitur, nec quicquam de hac re legitur in creatione hominis. Si igitur aliquid per manum consilij intelligitur, id potius intelligitur, quod Gene. i. et. z. homo constitutus est dominus reru, ut in illis libere dominaretur, ut dicit Moses, Faciamus hominem, qui praesit piscibus maris. Nec aliud ex istis uerbis euinci potest, ubi enim homo potuit in rebus suo arbitrio agere, ut sibi subiectis, Denique hoc uocat hominis consilium uelut aliud a Dei consilio. Post haec uero, ubi sic constitutum et relictum hominem in manu consilij sui dixerat, prosequitur, Adiecit mandata et praecepta sua, Ad quid adiecit? nempe ad consilium et arbitrium hominis et ultra illam constitutionem dominij humani super res alias, Quibus praeceptis ademit homini dominium, una parte creaturarum (puta arboris scientiae boni et mali) ac potius non liberum uoluit, Adiectis autem praeceptis, tum uenit ad arbitrium hominis erga Deum et ea, quae Dei sunt, Si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te et c.

Igitur ab hoc loco, Si uolueris, incipit questio de libero arbitrio, ut per Ecclesiasticum intelligamus hominem in duo regna distribui, Vno, quo fertur suo arbitrio et consilio, absque praeceptis et mandatis Dei, puta in rebus sese inferioribus, Hic regnat et est dominus, ut in manu consilij sui relictus, Non quod Deus illum sic deserat, ut non in omnibus

H. z. cooperes



cooperetur, sed quod usum rerum illi liberum pro arbitrio concesserit, nec ullis legibus aut praeceptis inhibuerit, Ac si dixeris per similitudinem, Euangelion reliquit nos in manu consilij nostri, ut in rebus dominemur & utamur, sicut uolumus, At Moses & papa non reliquerunt nos in eo consilio, sed legibus nos coercuerunt & suo potius arbitrio subiecerunt. Altero uero regno, non relinquatur in manu consilij sui, sed arbitrio & consilio Dei fertur & ducitur, ut sicut in suo regno fertur suo arbitrio absq; praeceptis alterius, ita in regno Dei fertur alterius praeceptis, absq; suo arbitrio. Atq; hoc est, quod Ecclesiasticus dicit, Adiecit praecepta & mandata, Si uolueris &c. Si igitur haec clara satis sunt, euicimus, hunc locum Ecclesiastici, non pro lib. arbitrio, sed contra liberum arbitrium ualere, ut quo subijcitur homo praeceptis & arbitrio Dei & eximitur suo arbitrio, Si clara satis non sunt, id tamen effecimus, ut pro libero arbitrio ualere non possit hic locus, ut qui alio quam ipsorum sensu, puta nostro iam dicto, eoq; non absurdo sed sanissimo, & qui toti scripturae consonet, intelligi possit, cum illorum sensus toti scripturae pugnet, & hoc uno solo loco petitur, contra totam scripturam. Stamus igitur securi in bono sensu, & negativo lib. arbi. donec illi suum affirmatiuum, difficilem & coactum, confirmauerint.

Vbi igitur Ecclesiasticus dicit, Si uolueris mandata conserua



ta conseruare, conseruabunt te, & fidem placitam  
 seruare, non uideo, quomodo istis uerbis liberum ar-  
 bitrium probetur, Est enim uerbum coniunctiui modi  
 (Si uolueris) quod nihil asserit, sicut Dialectici di-  
 cunt Conditionalem indicatiue nihil asserere, ut, si  
 Diabolus est deus, merito adoratur, Si asinus uolat,  
 asinus habet alas, Si liberum arbitrium est, gratia ni-  
 hil est. Oportuit autem Ecclesiasticum sic dicere, si  
 uoluisset liberum arbitrium asserere, Homo potest  
 seruare mandata Dei, uel homo habet uim seruando-  
 rum mandatorum. Sed hic Diatribe argutabitur,  
 Ecclesiasticus dicendo, Si uolueris seruare, significat  
 inesse uoluntatem homini ad seruandum & ad non ser-  
 uandum, Alioqui, quid sonat dicere, ad eum qui uo-  
 luntatem non habet, Si uolueris? Nonne ridiculum  
 est, si quis ad cæcum dicat, Si uolueris uidere, inuenies  
 thesaurum, Aut ad surdum, Si uolueris audire, narra-  
 bo tibi bonam historiam? Hoc esset miseriam illorum  
 uidere. Respondeo, Hæc sunt argumenta Rationis hu-  
 manæ, quæ tales sapientias fundere solet, Quare iam  
 non cum Ecclesiastico, sed cum Ratione humana dispu-  
 tandum nobis est de sequela, nam scripturas Dei suis  
 sequelis & syllogismis interpretatur & trahit quor-  
 sum uelit, faciemusq; id libenter & cum fiducia, ut  
 qui sciamus, eam non nisi stulta & absurda garrire,  
 tum maxime, cum in rebus sacris suam sapientiam  
 ostendere incipit.



Ac primum, si interrogem, unde probetur, significari uel sequi uoluntatem inesse liberam, quoties dicitur, Si uolueris, Si feceris, Si audieris? Dicit, quia sic uidetur natura uerborum & usus loquendi exigere inter homines, Ergo diuinas res & uerba metitur ex usu & rebus hominum, quo quid peruersius, cum illa sint caelestia, haec terrena? Prodit igitur stultitia seipsam, quam nihil de Deo nisi humanum cogit. Sed quid si probem, naturam uerborum & usum loquendi, etiam apud homines non semper ita habere, ut rideantur ij, qui non possunt, quoties eis dicitur, Si uolueris, Si feceris, Si audieris? Quoties parentes cum filijs suis ludunt, dum eos iubent, aut ad se uenire, hoc aut illud facere, ea tantum gratia, ut appareat, quam non possint, coganturque manum parentis inuocare? Quoties medicus fidelis, superbum aegrotum iubet facere aut omittere, quae illi sunt uel impossibilia uel noxia, ut ad notitiam morbi aut impotentiae suae illum per experientiam sui promoueat, ad quam nulla alia ratione illum perducere potuit? Et quid uisitatius & uulgatius insultandi & pronocandi uerbis, siue hostibus siue amicis ostendere uolumus, quid possint & non possint? Haec tantum recito, ut Rationi suas sequelas ostendam, quam stultitiam eas scripturis affingat, tum quam caeca etiam sit, ut non uideat, nec in humanis rebus & uerbis, eas semper locum habere, sed si aliquando ita uideat fieri,  
 mox



max precepta feratur, & generaliter in omnibus Dei  
& hominum uerbis fieri iudicet, faciens ex particu-  
lari uniuersalem, more sapientie sue.

Si nunc Deus, uelut pater, nobiscum uelut filijs suis  
agat, ut ignaris nobis ostendat nostram impotentiam,  
uel ut medicus fidelis nobis nostrum morbum notum  
faciat, uel ut hostibus suis superbe resistentibus suo  
consilio, insultet & legibus propositis ( quibus id co-  
modissime efficit ) dicat, fac, audi, serua, uel si audie-  
ris, si uolueris, si feceris, Nunquid hinc proba conse-  
quentia inferetur, ergo nos possumus liberare, aut Deus  
nos irridet? Cur non id potius sequitur? Ergo Deus nos  
tentat, ut per legem nos ad cognitionem nostrae impo-  
tentiae perducatur, si amici sumus, uel tum uere & merito  
insultet ac irrideat, si hostes superbi sumus. Hec enim  
est causa legislationis diuinæ, ut Paulus docet. Cæca  
est enim natura humana, ut nesciat suas ipsius uires seu  
morbos potius, Deinde superba uidetur sibi nosse &  
posse omnia, Cui superbie & ignorantie, nullo Deus  
remedio presentiori mederi potest quam proposita le-  
ge sua, De qua re plura dicemus loco suo, Hic præli-  
basse satis sit, ad confutandam istam sequelam carnalis  
& stultæ sapientie, Si uolueris, ergo potes uelle libe-  
re. Diatribe somniat hominem esse integrum & sa-  
num, qualis est aspectu humano in rebus suis, ideo ar-  
guitur istis uerbis, Si uolueris, Si feceris, Si audie-  
ris, rideri hominem, nisi liberum eius arbitrium sit.

H 4. Scriptura



Scriptura autem definit hominem esse corruptum & captum, tum superbe contemnentem & ignorantem suae corruptionis & captiuitatis, ideo illis uerbis ipsum uellit & suscitatur, ut agnoscat uel experientia certa, quam nihil horum possit.

Sed ipsam Diatriben petam, Si uere sentis O domina Ratio, sequelas istas constare ( Si uolueris, ergo potes libere ) cur tu ipsa non easdem imitaris ? Tu enim dicis opinione illa probabili, libere arbitrium non posse uelle quicquam boni, Qua igitur sequela fluet hoc simul ex isto loco ( Si uolueris seruare ) e quo dicis fluere, posse hominem uelle & non uelle libere ? Nunquid ex eodem fonte manat dulce & amarum ? An & tu magis rides hic hominem, quae dicis eum posse seruare, quae non potest uelle nec optare ? Igitur nec tu ex animo sentis, bene sequi ( Si uolueris ergo potes libere ) etiam si id tanta contentione agas, aut non ex animo probabilem illam opinionem dicis, quae sentit, hominem non posse uelle bonum. Sic sequelis & uerbis sapientiae suae capitur ratio, ut nesciat, quid aut de quo loquatur, Nisi quod dignissimum est, libere arbitrium talibus argumentis, sese mutuo deuorantibus & conficientibus defendi, quo modo Madianite mutuis caedibus sese perdidit, dum Gedeonem cum populo Dei impugnauerunt. Quin latius ex postulabo cum sapientia ista Diatribes, Ecclesiasticus non dicit, Si habueris studium uel conatum seruandi, qui non affri-



non asseribatur uiribus tuis, ut tu colligis, sed sic dicit,  
 si uolueris seruare mandata, seruabunt te, Si nunc  
 more tue sapientie sequelas ducere uolumus, sic inse-  
 remus, Ergo homo potest seruare mandata. Ac sic non  
 modicum studium uel conatulum aliquem hic reli-  
 quum faciemus in homine, sed totam plenitudinem &  
 abundantiam seruandorum mandatorum ei tribue-  
 mus. Alioqui rideret Ecclesiasticus hominis miseri-  
 am, ut seruare illum iuberet, quem nosset non posse  
 seruare, Nec satis foret, quod conatus & studium illi  
 adesset, nec sic enim euaderet suspitionem irrisionis,  
 nisi uim seruandi illi inesse significaret.

Finamus uero, studium & conatum illum libe-  
 rari aliquid esse, quid ad illos, nempe Pelagianos di-  
 cemus, qui ex hoc loco, gratiam in totum negabant,  
 & libero arb. omnia tribuebant? plane uicerim Pe-  
 lagiani, si sequela Diatribes constat, Nam uerba Ec-  
 clesiastici sonant de seruando, non de conando aut stu-  
 dendo. Quod si Pelagianis negaueris sequelam de  
 seruando, ipsi rursus multo rectius negabunt sequelam  
 de conando, Et si tu illis totum lib. arbi. abstuleris,  
 auferent & ipsi tibi particulam eius reliquam, ut par-  
 ticula non possis asserere, quod toti denegaris. Quic-  
 quid igitur contra Pelagianos dixeris, totum lib. arb.  
 tribuentibus ex hoc loco, hoc nos multo fortius, con-  
 tra modicum illud studium tui lib. arb. dicemus. Et  
 Pelagiani eatenus nobis consentient, ut si ipsorum opi-



nio ex hoc loco non potest probari, multo minus illa  
 alia poterit inde probari, cum si sequelis agenda sit  
 causa, fortissime omnium pro Pelagianis faciat Eccle-  
 siasticus, ut qui claris uerbis de toto seruando dicit,  
 Si uolueris mandata seruare. Imò & de fide dicit, Si  
 uis fidem placitam seruare, ut eadem sequela & fe-  
 dem seruare in nostra potestate esse oporteat, quæ ta-  
 men donum Dei est singulare ac rarum, ut Paulus di-  
 cit. Summa, cum tot recenseantur opiniones pro lib-  
 arbi. & nulla sit, quæ non hunc locum Ecclesiastici  
 pro se rapiat, illæq; sint diuersæ & contrariæ, fieri  
 non potest, quin Ecclesiasticum habeant contradicto-  
 rium ac diuersum sibiipsis in unis eisdemq; uerbis,  
 ideo nihil ex ipso probare possunt, quamuis si sequela  
 illa admittitur, pro Pelagianis solis faciat contra  
 omnes alios, Ideo & contra Diatriben facit, quæ  
 suo ipsius gladio hoc loco iugulatur.

Nos autem, ut cœpinus, dicimus, quod hic locus  
 Ecclesiastici nullis pror'us patrocinator, qui liberum  
 arbitrium asserunt, sed contra omnes pugnet, Non  
 enim admittenda est illa sequela, Si uolueris, ergo  
 poteris, sed sic intelligitur, eo uerbo & similibus mo-  
 neri hominem suæ impotentia, quam ignarus & su-  
 perbus, sine istis monitionibus diuinis, non agnosce-  
 ret, nec sentiret. Loquimur autem hic non de homine  
 primo solum, sed de quolibet, quamuis parum referat  
 de primo uel alijs quibuslibet intelligas, Nam & si  
 primus



spiritus homo nō erat impotens assistente gratia, tamen  
 in hoc præcepto satis ostendit ei Deus, q̄ esset impo-  
 tens absente gratia. Quod si is homo, cum adesset spiri-  
 tus, noua uoluntate non potuit uelle bonū de nouo pro-  
 positum, id est, obedientiam, quia spiritus illam non ad-  
 debat, quid nos sine' spiritu possemus in bono amisso?  
 Ostensum est ergo in isto homine, terribili exemplo,  
 pro nostra superbia conterenda, quid possit libe. arbi-  
 nostrum sibi relictum ac non continuo magis ac magis  
 actum & auctum spiritui Dei, ille non potuit in aucti-  
 orem spiritum, cuius primitias habebat, sed cecidit a  
 primitiis spiritus, quomodo nos lapsi possemus in  
 primitiis spiritus ablatas? præsertim iam regnante in  
 nobis plena potestate Satana, qui illum sola tentatione  
 nondum regnans in eo, prostrauit. Nihil fortius disse-  
 ri posset contra liberum arbitrium, quam si locus hic  
 Ecclesiastici cum lapsu Adæ tractaretur, sed nunc  
 non est locus, ac alibi forte sese res dabit. Interim sa-  
 tis est, monstratum esse, Ecclesiasticum prorsus nihil  
 pro lib. arb. dicere hoc loco, quem tamen pro prin-  
 eipe loco habent, Atq; eum locum & similes, si uo-  
 lueris, si audieris, si feceris, non ostendere quid po-  
 sint, sed quid debeant homines.

Alius locus à Diatribe nostra adducitur ex Gene.  
 4. ubi ad Cain dicit Dominus, Sub te erit appeti-  
 tus peccati, & tu dominaberis illius. Ostenditur hic  
 (ait Diatribe) animi motus ad turpia, uinci posse,  
 nec afferre



nec afferre necessitatem peccandi, Illud (Animi motus ad turpia uinci posse) quamuis ambigue dictum sit tamen uisus est, consequentia & rerum huc congitur, quod liberi arbitrij sit, uincere suos motus ad turpia, nec motus illi necessitatem afferant peccandi. Quid iterum hic omittitur, quod libero arbitrio non tribuitur? Quid opus spiritu? Quid Christo? Quid Deo? si lib. arbi. uincere potest animi motus ad turpia? Vbi iterum opinio probabilis, quae dicit lib. arbi. nec uelle quidem posse bonum? hic uero uictoria merito tribuitur ei quod nec uult nec optat bonum, Nihil enim est incogitantia Diatribae nostrae. Rem breuiter accipe, Sicut dixi, talibus dictis ostenditur homini quid debeat, non quid possit. Cain igitur dicitur, ut debeat peccato dominari & eius appetitum sub se tenere, uerum hoc neque fecit neque potuit, ut iam alieno imperio Satanae pressus. Notum est enim, Ebraeos frequenter indicatiuo futuro uti pro imperatiuo, ut in Exo. 20. Non habebis Deos alienos, Non occides, Non fornicaberis, & talia infinita, Alioqui si indicatiue (ut sonant) acciperentur, essent promissiones Dei, qui cum mentiri nequeat, fieret, ut nullus homo peccaret, tum sine necessitate praeciperentur. Ita interpretres noster hoc loco rectius sic transulisset, Sed forte sit appetitus eius & tu dominare illius, Sicut & de muliere dici debuit, Sub uiro tuo sis & ipse dominetur tui. Quod enim non indicatiue sit ad Cain dictum, probat



probat id, quia tum fuisset diuina promissio, At promissio non fuit, quia contrarium euenit & factum est per Cain.

Tertius est ex Mose, Posui ante faciem tuam uiam uite & mortis, Elige quod bonum est &c. Quid (inquit) apertius dici poterat? Eligendi libertatem relinquit homini. Respondeo, Quid apertius quam te hic cecutire? ubi quaeso relinquit libertatem eligendi? In eo quod dicit Elige? Ergo statim, ut Moses dicit Elige, fit, ut eligant? Igitur iterum non est necessarius spiritus. Et cum tu toties repetas & inculces eadem, mihi quoque licebit eadem sepius iterare. Si libertas eligendi adest, cur opinio probabilis dixit lib. arb. non posse uelle bonum? an eligere potest non uolens aut nolens? Sed audiamus similitudinem, Ridicule diceretur in biuio consistenti, uides duplicem uiam, utram uoles ingreditor, quum altera tantum pateret, Hoc est, quod supra dixi de argumentis rationis carnalis, quod rideri hominem putet precepto impossibili, quo nos ipsum dicimus moneri & excitari, ut uideat impotentiam suam. Vere igitur in biuio sumus, altera uero uia tantum patet, imò nulla patet, ostenditur uero per legem, quam altera scilicet ad bonum sit impossibilis, nisi Deus spiritum donet, altera uero quam sit lata & facilis, si Deus permittat. Non igitur ridicule, sed necessaria grauitate diceretur in biuio consistenti, utram uiam uoles ingreditor, si ipse uel infirmus,



infirmus, sibi fortis uideri uellet, aut uiam neutram esse clausam contenderet. Quare legis uerba dicuntur, non ut uim uoluntatis affirmant, sed ut cecum rationem illuminent, quo uideat, quam nulla sit sua lux, & nulla uoluntatis uirtus, Cognitio peccati (ait Paulus) per legem, non ait, abolitio aut uitatio peccati. Tota ratio & uirtus legis est, in sola cognitione, non nisi peccati praestanda, non autem in uirtute aliquam ostendenda aut conferenda, Cognitio enim non est uis, neque confert uim, sed erudit & ostendit, quod nulla sit ibi uis, & quanta sit ibi infirmitas, Nam cognitio peccati, quid aliud esse potest, quam notitia infirmitatis & mali nostri? non enim dicit, per legem ueritatem cognitio uirtutis aut boni, At totum quod facit lex (teste Paulo) est, ut peccatum cognosci faciat.

Atque is est locus, unde mihi sumpta est responsio ista, Verbis legis moneri ac erudiri hominem, quod debeat, non quid possit, id est, ut cognoscat peccatum, non ut credat sibi esse aliquam uim. Proinde quoties, Mi Erasme, mihi uerba legis opponis, opponam tibi illud Pauli, Per legem cognitio peccati, non uirtus uoluntatis. Congere igitur, uel ex concordantijs maioribus, omnia uerba imperatiua in unum cahos, modo non fuerint promissionis, sed exactionis & legis uerba, mox dicam, semper illis significari, quid debeant, non quid possint aut faciant homines. Atque id etiam grammatici & pueri in tri-



sciunt, uerbis imperatiui modi, nihil amplius  
 significari, quam id, quod debeat fieri. Quid autem  
 fiat uel possit fieri, uerbis indicatiuis oportet differi.  
 Qui fit igitur, ut uos Theologi sic meptiatis uelut  
 his pueri, ut mox apprehenso uno uerbo imperati-  
 uo, inferatis indicatiuum, quasi statim, ut impera-  
 tum sit, etiam necessario factum aut factu possibile  
 sit, Quanta enim inter os & offam accidunt, ut id  
 quod iusseris, atq; adeo possibile satis fuit, non ta-  
 men fiat? tanto distant imperatiua & indicatiua uer-  
 ba in rebus communibus & facillimis, Et uos in rebus  
 istis, plus distantibus quam cœlum & terra, atq; adeo  
 impossibilibus, tam subito facitis nobis indicatiua ex  
 imperatiuis, ut mox seruata, facta, electa, ac impleta  
 uelitis, uel talia fore nostris uiribus, quam primum  
 audieritis uocem imperantis, fac, serua, elige.

Quarto ex Deutero. 3. & 30. affers multa  
 similia eligendi, auertendi, seruandi uerba, ut si  
 seruaueris, si auersus fueris, si elegeris &c. Hec  
 ais, omnia intempestiue dicerentur, si non esset  
 uoluntas hominis libera ad bonum. Respondeo, &  
 tu mea Diatribe, satis intempestiue ex istis uerbis  
 colligis, libertatem arbitrij, Conatum enim & stu-  
 dium liberi arbitrij tantum, eras probatura, nul-  
 lum autem locum adducis, qui talem conatum pro-  
 bet, Adducis uero eos locos, qui, si tua sequela  
 ualeret, totum lib. arbitrio tribuant. Distinguanus  
 igitur



igitur iterum hic, Verba scripturæ adducta & addita  
 tam Diatribes sequelam. Verba adducta sunt imperpetuum,  
 nihil dicunt, nisi quid fieri debeat, Neg; enim  
 Mose dicit, Eligendi habes uim uel uirtutem, Sed elige,  
 serus, fac, præcepta faciendi tradit, non autem  
 describit hominis facultatem. Sequela uero per se  
 illam Diatribem addita infert, ergo potest homi-  
 nalia, alioqui frustra præciperentur. Cui responde-  
 tur, Domine Diatribe uos male infertis, nec probatis  
 sequelam, sed cecitati & oscitantia uestre uidetur  
 sequi & probari. Præcipiuntur autem non intrinse-  
 pestiue nec frustra, sed ut homo superbus & cæcus  
 per hæc suæ impotentia morbum discat, si tentet face-  
 re, quod præcipitur. Sic & similitudo tua nihil ualet,  
 ubi dicit, Alioqui perinde fuerit ac si quis homini sic  
 alligato, ut non possit brachium nisi in leuam porri-  
 gere, diceret, Ecce habes ad dextram uinum opti-  
 mum, habes ad leuam toxicum, utro uelis, porrigere  
 manum. Credo tibi suauissime blandiri istas tuas simi-  
 litudines, Sed simul non uides, si stent similitudines,  
 quod multo plura probent, quam probare statuisti,  
 imò probent, quæ tu negas & improbatas uelis, nemo  
 pe, lib. arb. omnia posse. Perpetuo enim tractatum, ob-  
 litus, quod dixisti, lib. arb. nihil posse sine gratia,  
 probas, quod lib. arb. omnia possit, sine gratia, Nam  
 hoc efficiunt sequela & similitudines tuæ, ut aut lib.  
 arbi. se solo ea possit, quæ dicuntur & præcipiuntur,  
 tur, aut



tur, aut frustra, ridicule, intempestive præcipiantur, He autem sunt ueteres cantilenæ Pelagianorum, quas etiam Sophistæ exploserunt, atq; tu ipse damnasti. Sed interim significas hac obliuiscencia & mala memoria tua, quam nihil uel intelligas uel afficiaris cause, Quid autem turpius Rhetori, quam perpetuo aliena à statu cause tractare & probare, imò contra causam & seipsum semper declamare?

Dico igitur denuo, Verba scripturæ adducta per te, sunt imperatiua, & nihil probant, nihil statuum de uiribus humanis, sed præscribunt faciendâ & omit-tenda, Sequele uero uel additiones & similitudines tue, si quid probant, probant hoc, lib. arb. omnia posse sine gratia, At hoc probandum non est à te susceptum, imò negatum, Ideo probationes eiusmodi aliud nihil sunt, quam improbationes fortissimæ, Si enim arguam (si forte ueternū Diatribes excitare queam) dum Moses dicit, Elige uitam & serua mandatum, Nisi homo possit eligere uitam & seruare mandatum, ridicule Moses illud homini præciperet. Nunquid isto argumento probaui, lib. arb. nihil posse boni aut habere conatum sine suis uiribus? imò probaui, contentione satis forti, aut hominem posse eligere uitam & seruare mandatum, sicut præcipitur, aut Mosem esse ridiculum præceptorem, Sed Mosem ridiculum præceptorem esse, quis audeat dicere? Sequitur ergo, hominem posse, quæ præcipiuntur. Hoc modo  
 I perpetuo



perpetuo disputat Diatribe, contra suum ipsius institutum, quo se non sic disputaturam promisit, sed quemdam conatum lib. arb. ostensuram, cuius tamen non meminit multum tota serie argumentorum, tamen abest, ut probet, quin contrarium potius probat, ut ipsa potius omnia ridicule & dicat & disputet.

Iam ut ridiculum sit, iuxta similitudinem inductam, ut alligatus dextro brachio, iubeatur in dexteram porrigere manum, cum non possit nisi in leuam. Numquid etiam ridiculum est, si ligatus uel utroque brachio, superbe contendat, uel ignarus presumat, sese in utraque partem omnia posse, ac tum iubeatur in utram partem porrigere manum, non ut rideatur eius captiuitas, sed ut presumptio falsa libertatis & potentie sue coarguatur, uel ignorantia captiuitatis & miserie sue sibi innotescat? Diatribe nobis perpetuo fingit hominem talem, qui uel possit, quod precipitur, uel saltem cognoscat sese non posse, At talis homo nusquam est. Atque si quis talis esset, tum uere, aut ridicule preciperentur impossibilia, aut frustra esset spiritus Christi. Scriptura uero talem proponit hominem, qui non modo sit ligatus, miser, captus, eger, mortuus, Sed qui addit, operante Satana principe suo, hanc miseriam cecitatis, miseris suis, ut se liberum, beatum, solutum, potentem, sanum, uiuum, esse credat, Scit enim Satan, quod si homo suam miseriam nosset, nullum retinere in suo regno



regno posset, quod agnita miserie & clamantis De-  
 us non possit non statim misereri & auxiliari, ut qui  
 prope esse contritis corde, tanta laude predicetur  
 per omnem scripturam, ut etiam Esaiæ. 61. Euangeli-  
 on pauperibus predicare & contritis mederi, Chri-  
 stus sese missum testetur. Proinde Satanae opus est, ut  
 homines teneat, ne suam miseriam agnoscant, sed præ-  
 sumant sese posse omnia, quæ dicuntur. Mosi uero &  
 legislatoris opus est contrarium, ut per legem homi-  
 ni miseriam suam patefaciat, ut sic contritum & con-  
 fusum in sui cognitione, ad gratiam præparet & ad  
 Christum mittat, & sic saluus fiat. Non igitur ri-  
 dicula, sed uehementer seria & necessaria sunt, quæ  
 per legem geruntur.

Qui nunc ista intelligunt, facile simul intelligunt.  
 Diatriben tota serie argumentorum prorsus nihil ef-  
 ficere, dum nihil nisi uerba imperatiua colligit e scrip-  
 turis, quæ nec intelligit, quid uelint & quare dicantur,  
 Deinde adiectis suis sequelis & similitudinibus  
 carnalibus, tam robustam offam miscet, ut plus asse-  
 rat & probet, quam instituerat, ac contra seipsam  
 disputet, ut non fuerit opus, ulterius singula percur-  
 rere. Vna enim solutione soluantur omnia, dum uno ar-  
 gumento nituntur omnia. Tamen, ut obruatur copia,  
 quæ me uoluit obruere, pergã aliquot recensere. Esai-  
 æ. 1. Si uolueritis et audieritis me, bona terra come-  
 detis, ubi magis congruebat dicere, iudice Diatribe,

I 2 Si uoluerò,



Si uoluerō, Si noluerō, si nulla est libertas uoluntatis, satis ex supra dictis patet responsio. Deinde quid esset ibi congruitatis, si diceretur, Si uoluerō, bona terræ comedetis? An Diatribe sentit præ nimia sapientia, bona terræ comedi posse, nolente Deo, aut rerum & nouum esse, quod non nisi uolente Deo, bona suscipimus? Sic illud Esaiæ. 21. Si queritis, querite, conuertimini & uenite. Quorsum attinet hortari eos, qui nulla parte suæ potestatis sunt? ac si uinculis astricto dicat quis, moue te istic, ait Diatribe. Imò quorsum attinet (inquam) citare locos, qui se solis nihil probant, & adiecta sequela, hoc est, de præiudicio eorum sensu, omnia tribuunt libero arbitrio, cum solum conatus quidam nec lib. arb. ascribendus, probari debuit? Idem dicitur ad illud Esaiæ. 45. Congregamini & uenite, Conuertimini ad me & saluati eritis. Et. 52. Consurge, Consurge, Excute de puluere, solue uincula colli tui. Item, Iere. 15. Si conuerteris conuertam te, Et si separaueris præciosum a uili, tanquam os meum eris. Euidētius uero Zacharias liberi arbitrij conatum indicat & gratiam conanti paratam, Conuertimini (inquit) ad me dicit Dominus exercituum & conuertar ad uos, dicit Dominus.

In his locis Diatribe nostra prorsus nihil discernit inter uoces legis & Euangelij, tam scilicet cæca & ignara est, ut quid lex, quid Euangelion sit, non uideat, Ex



at, Ex Esaiā enim toto, præter illum unum locum, Si nolueris, nullum legis uerbum affert, reliqui omnes sunt Euāgelici, quibus contriti & afflicti, uerbo gratiæ oblatæ uocantur ad consolationem. Sed Diatribæ uerba legis ex ipsis facit. Obsecro autem te, quid ille in re Theologica uel sacris literis efficiat, qui nondum eò peruenit, ut quid Lex, quid Euāgelion sit, norit, aut si norit, contemnat tamen obseruare? Is omnia misceat oportet, cælum, infernum, uitam, mortem, ac prorsus nihil de Christo scire laborabit. De qua re meā Diatriben infra pluribus monebo. Illud Ieremiæ & Zachariæ uide, Si conuerteris conuertam te, Et conuertimini ad me & conuertar ad uos, Nunquid sequitur, Conuertimini, ergo potestis conuertiti? Nunquid sequitur, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ergo poteris diligere ex toto corde? Quid igitur concludam argumenta eiusmodi, nisi lib. arb. gratia Dei non egere, sua uero uirtute omnia posse? Quanto rectius igitur uerba, ut posita sunt, accipiuntur? Si conuersus fueris, conuertam & ego te, Hoc est, si desieris peccare, desinam & ego punire, atq; si conuersus bene uixeris, beneficiam & ego, uertens captiuitatem & mala tua. Sed ex his non sequitur, quod sua uel homo conuertatur, nec hoc ipsa uerba dicunt, sed dicunt simpliciter, si conuertaris, quo monetur homo, quid debeat, Cognito autem eo, ac uiso quod non possit, querat unde possit, nisi Leui-



nisi Leuiathan Diatribes ( id est additamentum & se-  
 quela eius ) interueniat, quae dicat, alioqui frustra  
 diceretur, Conuertimini, nisi sua uis possit conuertere ho-  
 mo. Quod quale sit & quid efficiat, satis dictum est.

Stupor quidam uel Lethargia quaedam est, quod  
 illis uerbis, Conuertimini, Si conuerteris, & simili-  
 bus putatur uis lib. arbitrij confirmari, nec obserua-  
 tur, quod eadem ratione & isto uerbo confirmare-  
 tur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,  
 cum utrobique sit par significatio imperantis & exi-  
 gentis. Non minus uero requiritur dilectio Dei, quam  
 conuersio nostri & omnium praeceptorum, cum di-  
 lectio Dei sit uera conuersio nostri. Et tamen ex illo  
 dilectionis praecepto, nemo arguit lib. arb. Ex illis  
 uero uerbis, Si uolueris, Si audieris, Conuertere, &  
 similibus, omnes arguunt. Si ergo ex illo uerbo ( Di-  
 lige Dominum Deum tuum ex toto corde ) non sequi-  
 tur, lib. arb. aliquid esse aut posse, certum est, quod  
 nec ex illis sequitur, Si uolueris, Si audieris, Conuer-  
 timini, & similibus, quae uel minus exigunt uel minus  
 uehementer exigunt, quam illud, Dilige Deum, Ama  
 Dominum. Quicquid igitur respondetur ad uerbum  
 illud, Dilige Deum, ne concludat pro lib. arb. idem  
 dicetur ad omnia alia uerba imperandi uel exigendi,  
 ne concludant pro lib. arb. Scilicet quod diligendi  
 uerbo ostenditur forma legis, quid debeamus, non au-  
 tem uis uoluntatis aut quid possimus, imò quid non  
 possimus,



posimus, Idem ostenditur alijs omnibus uerbis exacti-  
onis. Constat enim Scholasticos etiam asserere, ex-  
ceptis Scotistis & Modernis, Hominem non posse  
diligere Deum toto corde, Ita nec ullum aliorum  
preceptorum prestare potest, cum in hoc uno, om-  
nia pendeant, teste Christo. Sic relinquatur, etiam  
Scholasticis doctoribus, Verba legis, non arguere uir-  
tutem lib. arbi. sed ostendere, quid debeamus & quid  
non posimus.

Verum Diatribe nostra magis ineptiens, ex illo  
Zacharie, Conuertimini ad me, non solum indi-  
catorium infert, sed etiam conatum lib. arb. & gra-  
tiam conanti paratam contendit probare, Et hic ali-  
quando tandem sui conatus meminit, Et noua gram-  
matica, Conuerti apud illam significat id, quod cona-  
ri, ut sit sensus, Conuertimini ad me, id est, conamini  
conuerti, & conuertar ad uos, id est, conabor con-  
uerti ad uos, ut etiam Deo aliquando conatum tribuat,  
forte & ipsi gratiam paratura conanti, Si enim con-  
uerti uno aliquo loco significat conari, cur non ubiq;?  
Rursus illo Ieremie .15. Si separaueris preciosum a  
uili, libertatem eligendi, non solum conatum, probari  
dicit, quam superius docuerat esse amissam, & uersam  
in necessitatem seruiendi peccato. Vides ergo Dia-  
triben uere lib. arb. habere in scripturis tractandis,  
ut apud illam eiusdem formæ uerba, in uno loco co-  
natum, in alio libertatem probare cogantur, pro ut

I 4 uisum fue-



uifum fuerit. Sed eant uanitates. Verbum conuer-  
tendi duplici ufu in fcripturis tractatur, Vfu legali &  
ufu Euangelico. Vfu legali, eft uox exactoris & im-  
perantis, quæ non conatum, fed totius uitæ requirit  
mutationem, ut Ieremia crebro utitur dicens, Conuer-  
timini unusquisq; à uia fua mala, Conuertere ad Do-  
minum, Ibi enim inuoluit exactionem omnium præ-  
ceptorum, ut fatis patet. Vfu Euangelico, eft uox  
confolationis & promiffionis diuinæ, qua nihil à no-  
bis exigitur, fed nobis offertur gratia Dei, ut eft illud  
Pfalms .13. Cum conuerterit Dominus captiuitatem  
Zion, Et illud .22. Conuertere anima mea in requi-  
em tuam. Zacharias igitur breuiffimo compendio  
utrinq; prædicationem, tam legis quàm gratiæ abfol-  
uit, Lex tota eft & fuma legis, ubi dicit, Conuer-  
timini ad me, Gratia eft, ubi dicit, Conuertar ad uos.  
Iam quantum probatur lib. arb. ex ifto uerbo, Anna  
Dominum, aut alio quouis particularis legis uerbo,  
tantum probatur ex hoc fummario uerbo legis, Con-  
uertimini. Prudentis igitur lectoris eft, in fcripturis  
obferuare, quæ uerba legis, quæ gratiæ funt, ut non  
omnia confufa habeat, more immundorum Sophifta-  
rum, & huius ofcitantis Diatribes.

Nam uide, quomodo tractet in fignem illum locum  
Ezechielis .18. Viuo ego dicit Dominus, Nolo mor-  
tem peccatoris, fed magis ut conuertatur & uiuat.  
Primum, Toties (inquit) repetitur in hoc capite,  
auerit



auerterit se, fecit, operatus est, in bonam & malam  
 partem, Et ubi sunt, qui negent hominem quicquam  
 agere? Vide quæso egregiam consequentiam. Cona-  
 tum ac studium probatura erat liberi arbitrij, & pro-  
 bat totum factum, impleta omnia per liberum arbi-  
 trium. Vbi nunc sunt, quæso, qui gratiam & spiri-  
 tum sanctum requirant? Sic enim argutatur dicens,  
 Ezechiel dicit. Si auerterit se impius & fecerit iusti-  
 tiam & iudicium, uiuet, Ergo impius mox ita facit  
 & potest facere. Ezechiel significat, quid fieri de-  
 beat, Diatribe intelligit, id fieri & factum esse, ite-  
 rum noua grammatica nos doctrina, quod idem sit, de-  
 bere & habere, idem exigi & præstari, idem po-  
 stulare & reddere. Deinde illam uocem dulcissimi  
 Euangelij, Nolo mortem peccatoris &c. sic uersat,  
 Deplorat ne pius Dominus mortem populi sui, quam  
 ipse operatur in illis? Si ille non uult mortem, utiq;  
 nostræ uoluntati imputandum est, si perimus. Quid  
 uero imputes illi, qui nihil potest agere neq; boni neq;  
 mali? Idem & Pelagius cantillauit, cum non studi-  
 um neq; conatum, sed totam uim implendi ac faciendi  
 omnia tribueret libero arbi. Nam eam uim probant  
 istæ sequela (ut diximus) siquid probant, ut eque  
 fortiter atq; adeo fortius pugnent contra ipsam Dia-  
 triben, quæ negat illam uim lib. arb. & solum cona-  
 tum struit, atq; contra nos pugnant, qui totum lib.  
 arb. negamus. Sed omiſſa ignorantia eius, rem ipsam  
 dicemus.



Vox Evangelica & dulcissimum solatium est miseris peccatoribus, ubi Ezechiel dicit, Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat, omnibus modis sicut & illa Psalmi .28. Quoniam momentum est ira eius, & uita potius uoluntas eius, Et Psalm .68. Quam suavis est misericordia tua Domine, Item, Quia misericors sum. Et illud Christi Matthei .11. Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam uos, Item illud Exodi .20. Ego facio misericordiam in multa milia, ijs qui diligunt me. Et quid est ferme plus quam dimidium sacrae scripturae, quam merita promissiones gratiae, quibus offertur a Deo misericordia, uita, pax, salus hominibus? Quid autem aliud sonant promissionis uerba, quam illud, Nolo mortem peccatoris? An non idem est dicere, Ego sum misericors, ac si diceret, Non irascor, nolo punire, nolo uos mori, uolo ignoscere, uolo parcere? Et nisi stare illae promissiones diuinae, quibus afflictæ conscientiae sensu peccati, ac metu mortis & iudicij trinitate, erigerentur? quis locus ueniae aut spei foret? Quis peccator non desperaret? Sed sicut lib. arb. ex alijs uerbis misericordiae aut promissionis aut solatij, non probatur, ita nec ex isto, Nolo mortem peccatoris &c.

Sed Diatribe nostra iterum nihil inter legis & promissionis uerba distinguens, facit hunc locum Ezechielis, uocem legis, ac sic exponit, Nolo mortem peccatoris,



peccatoris, id est, nolo quod mortaliter peccet, aut  
 fiat peccator mortis reus, sed magis, ut conuertatur à  
 peccato, si quod fecerit, & sic uiuat. Nam nisi sic  
 exponeret, nihil faceret ad rem, Sed hoc est prorsus  
 euertere & tollere suauissimum illud Ezechielis, No-  
 lo mortem. Si sic scripturas legere & intelligere uo-  
 lunus nostra cæcitate, quid mirum, si obscure & am-  
 biguæ sint? Non enim dicit, Nolo peccatum hominis,  
 sed nolo mortem peccatoris, manifeste significans de  
 pena peccati sese loqui, quam peccator pro suo pec-  
 cato sentit, scilicet de timore mortis, Et in hac positum  
 peccatorem afflictione & desperatione, erigit &  
 consolatur, ne linum fumigans extinguat, & cala-  
 mum quassatum conterat, sed spem ueniæ & salu-  
 tis faciat, ut magis conuertatur, scilicet conuersione  
 salutis à pœna mortis, & uiuat, hoc est, bene habeat  
 & securam conscientiam letetur. Hoc enim obseruan-  
 dum quoq; est, Sicut uox legis non fertur, nisi su-  
 per eos, qui peccatum non sentiunt nec agnoscunt,  
 sicut Paulus dicit Romanorum. 3. Per legem cogni-  
 tio peccati, Ita uerbum gratiæ non uenit nisi ad eos,  
 qui peccatum sentientes affliguntur & tentantur de-  
 speratione. Ideo in omnibus uerbis legis uides in-  
 dicari peccatum, dum ostenditur, quid debeamus.  
 Sicut contra in omnibus uerbis promissionis, ui-  
 des malum significari quo laborant peccatores,  
 uel ij, qui erigendi sunt, ut hic, Nolo mortem pec-  
 catoris,



eratoris, clare mortem & peccatorem nominat, tam  
ipsum malum, quod sentitur, quam ipsum hominem  
qui sentit. At hic, Dilige Deum toto corde, indica-  
tur, quid debeamus boni, non quid sentiamus mali, ut  
agnoscamus quam non possimus id boni.

Nihil itaq; potuit ineptius pro libero arbitrio adduci,  
quam hic locus Ezechielis, imò fortissime contra  
liberum arbitrium pugnat. Significatur enim hic  
liberum arbitrium, qualiter se habeat, & quid possit  
in peccato agnito aut in sese conuertendo, Scilicet,  
quod non nisi in peius laberetur, & desperationem  
& impoenitentiam adderet peccatis, nisi Deus succurreret  
mox & promissionis uerbo reuocaret & erigeret.  
Sollicitudo enim Dei promittentis gratiam ad reuocandum  
& erigendum peccatorem, satis magnum & fidei  
argumentum est, liberum arbitrium, se solo non posse  
nisi ad peius, & (ut scriptura dicit) ad inferos labi,  
nisi Deum eius leuitatis esse credas, quod nulla  
necessitate salutis nostrae, sed mera uoluptate  
loquacitatis, uerba promissionis effundat tam copiose.  
Ut sic uideas, non solum omnia uerba legis  
contra lib. arb. stare, sed etiam omnia uerba  
promissionis ipsum penitus confutare, hoc est, uniuersam  
scripturam contra illud pugnare. Quare illo uerbo,  
Nolo mortem peccatoris, nihil aliud agi uides,  
quam predicari & offerri diuinam misericordiam  
in mundo, quam solum afflicti & morte uexati cum  
gaudio



gudio & gratitudine suscipiunt, ut in quibus iam lex  
 suam officium, id est, cognitionem peccati comple-  
 nit. Illi uero, qui legis officium nondum sunt exper-  
 ti, nec agnoscunt peccatum, nec mortem sentiunt, con-  
 temnunt misericordiam promissam eo uerbo. Cete-  
 rum, Cur alij lege tanguntur, alij non tanguntur, ut  
 illi suscipiant & hi contemnant gratiam oblatam, alia  
 questio est, nec hoc loco tractatur ab Exechiele, qui  
 de predicata & oblata misericordia Dei loquitur,  
 non de occultis illa & metuenda uoluntate Dei, ordi-  
 nantis suo cōsilio, quos & quales predicata & oblata  
 misericordiae capaces & participes esse uelit. Quae  
 uoluntas non requirenda, sed cū reuerentia adoranda  
 est, ut secretū longe reuerendissimū maiestatis diuinae  
 soli sibi reseruatū, ac nobis prohibitum, multo re-  
 ligiosius, quā infinitae multitudinis specus Coricij.

Quando nunc Diatribe argutatur, Plorat ne pius  
 Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in  
 illis? Hoc enim nimis absurdum uidetur. Responde-  
 mus, ut iam diximus, Aliter de Deo uel uoluntate Dei  
 nobis predicata, reuelata, oblata, culta, Et aliter de  
 Deo non predicato, non reuelato, non oblato, non  
 culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese ab-  
 scondit & ignorari a nobis uult, nihil ad nos. Hic enim  
 uere ualet illud, Quae supra nos, nihil ad nos. Et ne  
 meam hanc esse distinctionem quis arbitretur, Paulum  
 sequor, qui ad Thessalonicenses de Antichristo scri-  
 bit, quod



bit, quod sit exaltaturus sese super omnem Deum  
 predicatum & cultum, manifeste significans, aliquem  
 posse extolli supra Deum, quatenus est predicatus  
 & cultus, id est, supra uerbum & cultum, quo De-  
 us nobis cognitus est, & nobiscum habet commercia-  
 um, sed supra Deum non cultum, nec predicatum,  
 ut est in sua natura & maiestate, nihil potest extolli,  
 sed omnia sunt sub potenti manu eius. Relinquendus  
 est igitur Deus in maiestate & natura sua, sic enim ni-  
 hil nos cum illo habemus agere, nec sic uoluit à nobis  
 agi cum eo, sed quatenus indutus & proditus est uer-  
 bo suo, quo nobis sese obtulit, cum eo agimus, quod  
 est decor & gloria eius, quo Psalmista eum celebrat  
 indutum. Sic dicimus, Deus pius non deplorat mor-  
 tem populi, quam operatur in illo, sed deplorat mor-  
 tem, quam inuenit in populo & amouere studet. Hoc  
 enim agit Deus predicatus, ut ablato peccato &  
 morte, salui si nus. Misit enim uerbum suum & sa-  
 nauit eos. Ceterum Deus absconditus in maiestate,  
 neq; deplorat neq; tollit mortem, sed operatur uitam,  
 mortem, & omnia in omnibus. Neq; enim tum uer-  
 bo suo definiuit sese, sed liberum sese reseruauit su-  
 per omnia.

Illudit autem sese Diatribe ignorantia sua, dum nihil  
 distinguit inter Deum predicatum & absconditum,  
 hoc est, inter uerbum Dei & Deum ipsum, Multa facit  
 Deus, quæ uerbo suo non ostendit nobis, Multa quoq;  
 aut,



vult, quæ uerbo suo non ostendit sese uelle. Sic non  
 uult mortem peccatoris, uerbo scilicet, Vult autem illā  
 uoluntate illa imperscrutabili. Nunc autem nobis spec-  
 tandum est uerbū, relinquendāq; illa uoluntas imper-  
 scrutabilis, uerbo enim nos dirigi, nō uoluntate illa in-  
 scrutabili, oportet. Atq; adeo, quis sese dirigere que-  
 at ad uoluntatem prorsus imperscrutabilem & in-  
 cognoscibilem? Satis est, nosse tantum, quod sit quæ-  
 dā in Deo uolūtas imperscrutabilis, Quid uero, Cur  
 & quatenus illa uelit, hoc prorsus non licet quære-  
 re, optare, curare, aut tangere, sed tantum timere  
 & adorare. Igitur recte dicitur, Si Deus non uult  
 mortem, nostræ uoluntati imputandum est, quod pe-  
 rimus. Recte inquam, si de Deo prædicato dixeris,  
 Nam ille uult omnes homines saluos fieri, dum uerbo  
 salutis ad omnes uenit, uitiumq; est uoluntatis, quæ  
 non admittit eum, sicut dicit Matth. 23. Quoties uo-  
 lui congregare filios tuos & noluisti? Verum quare  
 maiestas illa uitium hoc uoluntatis nostræ non tollit  
 aut mutat in omnibus, cum non sit in potestate homi-  
 nis, aut cur illud ei imputet, cum non possit homo eo  
 carere, quærere non licet, ac si multum quæras, nun-  
 quam tamen inuenias, sicut Paulus Roma. xi. dicit. Tu  
 quis es, qui respondeas Deo? Hæc satis sint pro isto  
 loco Ezechielis, pergamus ad reliqua.

Post hæc causatur Diatribe, fringere necessario tot  
 hortamenta in scripturis, Item tot pollicitationes,  
 minas,



minas, expostulationes, exprobrationes, obtestationes, benedictiones & maledictiones, tot examina preceptorum, si non sit in manu cuiquam seruare, quod preceptum est. Perpetuo obliuiscitur Diatribe status causa, & aliud agit quam instituit, nec uidet, quam omnia fortius contra ipsam quam contra nos pugnent. Nam ex his omnibus locis, probat, libertatem & facultatem seruandi omnia, ut etiam sequela cogit uerborum, quam illa supponit, cum tamen probare uoluerit, libe. arbi. tale, quod nihil boni uelle possit sine gratia, & conatum quendam non suis uiribus ascribendum, Talem conatum non uideo illis locis probari, sed tantum exigi, quid fieri debeat, ut sapientius iam dictum est, nisi quod toties repetendum est, cum Diatribe toties eadem corda oberret, inutili uerborum copia lectores differens.

Vltimum ferè ex ueteri testamento illud Mosi Deuter. 30. affert, Mandatū hoc, quod precipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in caelo situm, ut possis dicere, Quis nostrum ualet in caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus & opere compleamus? Sed iuxta est ualde sermo, in ore tuo & corde tuo, ut facias illud. Hoc loco contendit Diatribe declarari, non solum in nobis situm, quod precipitur, uerum etiam in procliui esse, hoc est, facile, uel saltem non difficile. Gratias agimus de tanta eruditione, Si igitur Moses tam clare pronunciat, non modo



non modo esse facultatem in nobis, sed etiam facilitatem seruandi omnia mandata, Cur tantum sudamus? Cur non statim hunc locum produximus & liberum arbitrium asseruimus libero campo? Quid iam Christo? Quid spiritu opus? Inuenimus iam locum, qui omnibus os obstruat, & clare non modo libertatem arbitrij asserat, sed facilem quoque mandatorum obseruantiam doceat. Quam stultus Christus, qui etiam fuso sanguine spiritum illum non necessarium nobis emittit, ut faciles efficeremur in seruandis preceptis, quales iam ex natura sumus. Quin & ipsa Diatribe suas uoces recantet, quibus dixit, lib. arbitrium sine gratia nihil posse uelle boni, Dicat uero nunc, liberum arbitrium esse tantæ uirtutis, ut non modo uelit bonam, sed etiam facili opera seruet summa & omnia mandata. Vide queso, quid efficiat animus alienus à causa, quam non potest sese non proderere. An adhuc opus est confutare Diatriben? Aut quis magis eam confutare queat, quam ipsa seipsam confutat? Hæc scilicet est bestia illa, quæ se ipsam comedit. Quam uerum est, mendacem oportere memorem esse.

Nos de loco isto in Deuteronomio diximus, Nunc breuiter agemus. Ut secluso Paulo, qui Rom. 10. potenter hunc locum tractat, differamus, Nihil hic prorsus uides dici aut ulla syllaba sonari de facilitate, difficultate, potentia uel impotentia lib. arb. uel hominis ad seruandum uel non seruandum, Nisi quod ij, qui se-

K      quælis &



quibus & cogitationibus suis scripturas captant. Sicut ip-  
 siseas obscuras & ambiguas faciunt, ut sic quodlibet  
 ex eis faciant. Si non potes oculos, aures saltem ad-  
 uerte, uel manibus palpa, Moses dicit, Non est supra  
 te, nec procul positum, nec in caelo situm, nec trans  
 mare. Quid est supra te? Quid procul? Quid in  
 caelo situm? Quid trans mare? An etiam Gramma-  
 ticam & usitatissima uocabula nobis obscurabunt,  
 ut nihil certi loqui ualeamus, tantum ut obtineant,  
 scripturas esse obscuras? Nostra grammatica istis uo-  
 cabulis non qualitatem aut quantitatem uirium huma-  
 narum, sed distantiam locorum significat. Supra te  
 enim dicitur, non quaedam uis uoluntatis, sed locus qui  
 supra nos est. Ita procul, trans mare, in caelo, nihil  
 uirtutis in homine, sed locus sursum, dextrorsum, si-  
 nistrorsum, retrorsum, antrorsumue, a nobis remo-  
 tus. Rideat me quispiam tam crasse disputantem ac ue-  
 lut analfabetis pueris praemansum tantis uiris por-  
 rigentem, ac syllabas nectendas docentem. Quid facia-  
 am? cum in tam clara luce uideam quæri tenebras, ac  
 studio uelle eos cæcos esse, qui tot sæculorum seriem  
 nobis numerant, tot ingenia, tot sanctos, tot martyres,  
 tot doctores, tantaq; authoritate hunc locum Mosi  
 iactant, nec dignentur tamen syllabas inspicere, aut  
 cogitationibus suis tantum imperare, ut locum semel  
 considerent, quem iactant. Eat nunc Diatribe & di-  
 cat, qui fieri possit, ut unus priuatus uideat, quod ut  
 publici,



publici, tot saeculorū proceres nō uiderūt? certe hic lo-  
cus uel puello iudice, cōuincit eos cecutisse nō raro.

Quid igitur Moses uult istis uerbis apertissimis &  
clarissimis, nisi, sese suo officio ceu fidelem legislato-  
rem esse perfunctum egregie? ut per quem non sit,  
quo minus omnia sciant & habeant coram posita prae-  
cepta, nec locum eis relictum excusandi, quod igno-  
rent uel nō habeant praecepta aut aliunde petenda eis  
sint, ut si non seruarint ea, culpa nec sit legis nec legis-  
latoris, sed ipsorum, cum lex a sit, legislator docuerit,  
ut nulla ignorantia excusatio reliqua sit, sed sola ac-  
cusatio negligentiae & inobedientiae. Non est (inquit)  
necesse, leges e caelo aut a finibus ultramarinis aut  
procul asferre, nec potes praetexere, te illas nec au-  
disse nec habere, prope habes eas, ut quas praecipiente  
Deo & me authore audisti, corde percepisti, & ore  
assiduo, per leuitas in medio tui, tractandas accepisti,  
teste hoc ipso meo uerbo & libro, Hoc tantum reli-  
quum est, ut facias illas. Obsecro quid hic lib. arb. tri-  
buitur? nisi quod exigitur, ut faciat leges, quas habet,  
& admittitur excusatio ignorantiae & absentiae legum.

Hec ferē sunt, quae ex ueteri testamento adducit  
Diatrube pro libero arbitrio, quibus solutis, nihil re-  
liquum sit, quod non solutum pariter sit, siue plu-  
ra adducat, siue plura adducere uelit, cum nihil  
nisi uerba imperatiua, aut coniuunctiua, aut opta-  
tiua adducere queat, quibus significatur, non  
K z quid possi-



quid possimus aut faciamus (ut toties diximus toties  
 repetenti Diatribe) sed quid debeamus & quid exi-  
 gatur à nobis, quo nostra nobis impotentia innotescat,  
 & peccati cognitio prestetur, Aut si quid probent,  
 per additas sequelas & similitudines ratione humana  
 inuentas, hoc probant, liberi scilicet arbitrij non esse  
 tantum conatum aut studium aliquod modicum, sed  
 totam uim & potestatem liberrimam faciendi omnia  
 sine gratia Dei, sine spiritu sancto. Ac sic nihil minus  
 probatur tota illa copiosa, iterata & inculcata dispu-  
 tatione, quam id quod probandum erat, nempe opinio  
 illa probabilis, qua lib. arb. definitur eius esse im-  
 potentia, ut nihil possit uelle boni sine gratia, cogatur  
 in seruitutem peccati, habeatq; conatum non as-  
 cribendum suis uiribus, Monstrum scilicet illud, quod  
 simul nihil potest suis uiribus, & tamen conatum ha-  
 bet in uiribus suis, constatq; contradictione manife-  
 stissima.

Venitur nunc ad nouum testamentum, ubi iterum  
 instruitur copia uerborum imperatiuorum pro misere-  
 ra illa seruitute liberi arbitrij, accersunturq; auxilia  
 rationis carnalis, nempe sequelae & similitudines, ac  
 si uideas pingi uel somnari muscarum regem stipen-  
 tum, lanceis stipulaceis & clypeis feneis, aduersus ue-  
 ram & iustam aciem bellatorum hominum. Sic pug-  
 nant humana Diatribes somnia aduersus diuinorum  
 uerborum agmina. Principio illud Matth. 23. proce-  
 dit, uelut



ut, uelut muscarum Achilles, Ierusalem, Ierusalem,  
 quoties uolui congregare filios tuos & noluisti? Si  
 cum sita ( inquit ) fiunt necessitate, nonne poterat me-  
 rito respondere Domino Ierosolyma? Quid inanibus  
 lachrymis te maceras? Si tu nolebas nos auscultare  
 Prophetis, cur eos misisti? Cur nobis imputas, quod  
 tua uoluntate, nostra necessitate, factum est? Hec illa.  
 Respondemus autem, Et donemus interim, ueram &  
 bonam esse istam sequelam & probationem Diatri-  
 bes, Quid rogo probatur? nunquid probabilis opi-  
 nio, que dicit lib. arbi. non posse uelle bonum? Imò  
 probatur, libera, sana & potens in omnia, que Pro-  
 phete dixerunt, uoluntas. At talem non suscepit pro-  
 bandam Diatribe, Quin ipsa Diatribe hic responde-  
 at, Si lib. arb. non potest uelle bonum, Quid imputa-  
 tur ei, quod non audierit Prophetas, quos, ut bona  
 docentes, audire non poterat suis uiribus? Quid ina-  
 nibus lachrymis plorat Christus, ac si illi potuerint  
 uelle, quod certo nouit eos non posse uelle? Liberet  
 (inquam) Diatribe Christum ab insania pro sua illa  
 probabili opinione, & mox nostra opinio liberata  
 est ab isto Achille muscarum. Igitur locus ille Matth.  
 aut probat totum lib, arb. aut eque fortiter pugnat  
 aduersus ipsam Diatriben & suo illam iaculo pro-  
 sternit.

Nos dicimus, ut iam antea diximus, de secreta illa  
 uoluntate maiestatis non esse disputandum, & teme-



ritatem humanam, que perpetua peruersitate, relictis  
 necessarijs, illā semper impetit & tentat, esse am-  
 candam & retrahendam, ne occupet sese scrutandis  
 illis secretis maiestatis, que impossibile est attingere,  
 ut que habitat lucem inaccessibilem, teste Paulo. Occu-  
 petet, uero sese cum Deo incarnato seu (ut Paulus  
 loquitur) cum Ihesu crucifixo, in quo sunt omnes the-  
 sauri sapientiæ & scientiæ, sed absconditi, per hunc  
 enim abunde habet, quid scire & non scire debeat.  
 Deus igitur incarnatus hic loquitur, Volui & tu ne-  
 luisti, Deus, inquam, incarnatus in hoc missus est, ut  
 uelit, loquatur, faciat, patiat, offerat omnibus om-  
 nia, que sunt ad salutem necessaria, licet plurimos ofen-  
 dendat, qui secreta illa uoluntate maiestatis uel resistit  
 uel indurati, nō suscipiunt uolentem, loquentē, facien-  
 tem, offerentem, sicut Ioh. dicit, Lux in tenebris lucet,  
 et tenebre eam nō comprehendunt. Et iterum, In pro-  
 pria uenit, & sui non receperunt eum. Huius itidem  
 Dei incarnati est flere, deplorare, gemere super per-  
 ditione impiorum, cum uoluntas maiestatis ex pro-  
 posito aliquos relinquat & reprobet, ut pereant.  
 Nec nobis querendum, cur ita faciat, sed reuerentem  
 Deus, qui talia & possit & uelit. Nec puto aliquis  
 hic calumniabitur, quod illa uoluntas, de qua dicitur,  
 Quoties uolui, etiam ante incarnatum Deum, Iudæis  
 fuerit exhibita, ut qui Prophetas ante Christum occi-  
 disse, & sic uoluntati eius resistisse arguantur. Non  
 tam est



non est enim apud Christianos, omnia geri per Prophetas in nomine futuri Christi, qui promissus erat, ut incarnatus Deus fieret. Ut uoluntas Christi recte dicatur, quicquid ab initio mundi per uerbi ministros oblatum est hominibus.

Dicit uero hic Ratio, ut est nasuta & dicax, Pulchre hoc inuentum est effugium, ut quoties ui arguentorum urgemur, ad uoluntatem illam maiestatis metuendam recurramus, & disputatorem, ubi molestus fuerit, ad silentium adigamus, non aliter, quam astrologi suis epiciclis repertis, omnes quaestiones de motu totius caeli eludunt Respondemus, non esse nostrum inuentum, sed diuinis scripturis firmatum praeceptum, sic enim Paulus Ro. ii. dicit, Quid igitur queritur Deus? Quis uoluntati eius resistet? O homo, tu quis es, qui contendas cum Deo? An non habet potestatem singulis? & reliqua. Et ante eum Esaias. 58. Me etenim de die in diem quaerunt & uias meas scire uolunt, quasi gens, quae iustitiam fecerit, Rogant me iudicia iustitiae & appropinquare Deo uolunt. Puto istis uerbis satis monstrari, non licere hominibus scrutari uoluntatem maiestatis. Deinde causa haec est huiusmodi, ut in illa maxime petant peruersi homines uoluntatem illam metuendam, ideo maxime locus est, eos tum ad silentium & reuerentiam hortari, In alijs causis non ita facimus, ubi talia tractantur, quorum ratio reddi potest & reddi nobis mandata est.

K 4 Quod



Quod si quis pergat scrutari rationem uoluntatis illius, nec nostrae monitioni cedit, hunc sinimus ire, & gygantum more cum Deo pugnare, spectaturi, quos triumphos sit reportaturus, certi, quod cause nostrae nihil sit detracturus, & suae nihil collaturus. Manebit enim fixum, quod aut lib. arbitrium omnia posse probabit, aut quod adducta scripturae contra ipsum met pugnabunt. Vtro autem facto, uictus iacet & nos uictores stamus.

Alterum est illud Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata, Qua fronte diceretur, Si uis, cui uoluntas libera non est? Hæc Diatribe. Cui dicimus, Igitur uoluntas libera est per hoc uerbum Christi? At tu uolebas probare, quod libe. arbitrium nihil possit boni uelle, & necessario seruiret peccato, absente gratia. Qua fronte igitur tu nunc totum facis liberum? Idem dicitur ad illud, Si uis perfectus esse. Si quis uult uenire post me. Qui uoluerit animam suam saluam facere. Si diligitis me. Si manseritis. Deniq; ut dixi, colligantur omnes coniunctiones, Si, & uerba imperatiua, ut iuuenus Diatriben saltem numero uerborum. Hæc omnia (inquit) præcepta frigent, si nihil tribuitur uoluntati humane, Quam male congruit meræ necessitati, coniunctio illa, Si? Respondemus, si frigent, tua culpa frigent, imò nihil sunt, qui asserit, nihil tribui uoluntati humane, dum facis lib. arb. non posse uelle bonum, & rursus hic facis, idem posse uelle



velle omnia bona, nisi eadem uerba apud te simul et  
 ardent et frigent, dum simul omnia asserunt et om-  
 nia negant. Et miror, quid delectarit authorem toties  
 eadem repetere, immemorem perpetuo instituti sui,  
 nisi forte diffidens causæ, magnitudine libri uoluerit  
 uincere, aut tædio et molestia lectionis aduersarium  
 fatigare. Qua consequentia, rogo, fiat, ut mox uo-  
 luntatem et potentiam adesse oporteat, quoties dicitur,  
 Si uis, Si quis uult, Si uolueris? Nonne frequen-  
 tissime impotentiam potius et impossibilitatem signifi-  
 ficamus talibus sermonibus? ut, Si Virgilium uoles  
 æquare canendo mi Meui, alia cantes oportet. Si Ci-  
 ceronem superare uoles Scote, pro argutijs summam  
 oportet eloquentiam habeas. Si cum Dauide compa-  
 rari uoles, similes Psalmos edas necesse est. Hic plane  
 significantur impossibilia uiribus proprijs, licet diui-  
 na uirtute omnia fieri possint. Sic habet et in scrip-  
 turis res, ut quid uirtute Dei in nobis fieri possit, et  
 quid non possimus nos, talibus uerbis ostendatur.

Porro si talia dicerentur de ijs, quæ prorsus im-  
 possibilia sunt factu, ut quæ nec Deus unquam esset  
 factur, tum recte dicerentur uel frigida uel ridicu-  
 la, ut quæ frustra dicerentur. Nunc uero sic dicun-  
 tur, ut non solum ostendatur impotentia lib. arb. per  
 quam nihil eorum fit, sed simul significatur aliquando  
 fore et factum iri omnia talia, uerum aliena uirtute,  
 nempe diuina, Si omnino admittamus, in talibus uer-  
 bis

K 5 bis inesse



bis inesse quandam significationem faciendorum &  
 possibilium. Ac si quis sic interpretetur, Si uolueris  
 seruare mandata, hoc est, si uoluntatem aliquando ha-  
 bueris (habebis autem non ex te, sed ex Deo, qui tri-  
 buet eam cui uoluerit) seruandi mandata, seruabunt  
 & ipsa te. Aut ut latius dicam, Videntur illa uerba,  
 praesertim coniunctiua, propter praedestinationem  
 Dei quoque sic poni, ut incognitam nobis, & illam in-  
 uoluere, ac si hoc uelim dicere, Si uis, Si uolueris,  
 hoc est, si talis apud Deum fueris, ut uoluntate hac te  
 dignetur, seruandi praeccepta, seruaberis. Quo tro-  
 po intelligi datur utrunque, scilicet & nos nihil posse,  
 & siquid facinus, Deum in nobis operari. Sic illis  
 dicerem, qui non contenti uellem esse, quod illis uer-  
 bis solum impotentia nostra ostendi dicitur, sed etiam  
 uim aliquam & potentiam faciendi ea, quae praeci-  
 untur, probari contenderent, Ita simul uerum fieret,  
 ut nihil possemus eorum quae praeciuntur, & simul  
 omnia possemus, illud nostris uiribus, hoc gratia Dei  
 tribuendo.

Tertio illud Diatriben mouet, Vbi toties est men-  
 tio (inquit) bonorum operum & malorum, ubi men-  
 tio mercedis, ibi non intelligo, quo pacto locus sit me-  
 re necessitati, Neque natura, ait, neque necessitas habet  
 meritum. Neque ego sane intelligo, nisi quod opinio  
 illa probabilis necessitatem meram asserit, dum lib.  
 arb. dicit, nihil boni posse uelle, & tamen hic etiam  
 meritum



meritum ei tribuit, Adeo proficit lib. arb. crescente libro & disputatione Diatribes, ut nunc non solum conatum & studium proprium, alienis tamen uiribus, habeat, imò non solum bene uelit & faciat, sed etiam mereatur uitam eternam, dicente Christo Matt. 5. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis, uestra, id est, lib. arbitrij, Sic enim Diatribe hunc locum intelligit, ut Christus & spiritus Dei nihil sine. Quid enim illis opus fuerit, si bona opera & merita per lib. arb. habemus? Hec dico, ut uideamus, non esse rarum, uiros excellentes ingenio, solere cecutire in re etiam crasso & rudi ingenio manifesta, & quam infirmum sit argumentum ab auctoritate humana in rebus diuinis, in quibus sola ualet auctoritas diuina.

Duo hic dicenda sunt. Primum de praeceptis noui testamenti, Deinde de merito, Vtrumq; breuiter expediemus, alias prolixius de eisdem locuti. Nouum testamentum proprie constat promissionibus & exhortationibus, sicut Vetus proprie constat legibus & minis. Nam in nouo testamento praedicatur Euangelion, quod est aliud nihil, quam sermo, quo offertur spiritus & gratia in remissionem peccatorum per Christum crucifixum pro nobis impetratam, idq; totum gratis solaq; misericordia Dei patris nobis indignis & damnatione merentibus potius quam aliquid aliud, fauente. Deinde exhortationes sequuntur, quae iam iustificatos & misericordiam



misericordiam consecutos excitent, ut strenui sint  
 in fructibus donatae iustitiae & spiritus, charitatemque  
 exerceant bonis operibus, fortiterque ferant crucem  
 & omnes alias tribulationes mundi. Hac est summa  
 totius noui testamenti. De qua re quam nihil intelligat  
 Diatribe, satis declarat, quod nihil inter uetus &  
 nouum testamentum discernere nouit, utrobique enim  
 nihil fere nisi leges & praecepta uidet, quibus for-  
 mentur homines ad bonos mores. Quid uero sit re-  
 nascentia, innouatio, regeneratio & totum negotium  
 spiritus, prorsus nihil uidet, ut mihi stupor & mi-  
 raculum sit, adeo nihil scire in sacris literis hominem,  
 qui tanto tempore & studio in illis laborauerit. Illud  
 igitur gaudete & exultate quoniam merces uestra  
 multa est in caelis, tam bene quadrat libero arbitrio,  
 quam bene conuenit luci dum tenebris. Exhortatur  
 enim Christus ibi, non lib. arb. sed Apostolos, qui  
 non modo supra liberum arbitrium in gratia erant &  
 iusti, sed etiam in ministerio uerbi, hoc est, summo lo-  
 co gratiae constituti, ut ferrent tribulationes mundi.  
 At nos disputamus de lib. arb. sine gratia potissimum,  
 quod legibus & minis seu ueteri testamento eruditur,  
 ad cognitionem sui, ut ad promissiones oblatas nouo  
 testamento currat.

Meritum uero seu merces proposita, quid est aliud  
 nisi promissio quaedam? sed ea non probatur aliquid  
 nos posse, cum nihil ea significetur aliud, quam si quis  
 hoc uel



hoc uel hoc fecerit, tum mercedem habiturus sit.  
 Questio uero nostra est, non quo modo uel quæ merces reddatur, sed an talia possimus facere, quibus merces reddatur, Hoc enim erat probandum. Nonne ridicula est consequentia, omnibus in stadio proponitur brabeum, ergo omnes possunt currere & obtinere? Si Cesar uicerit Turcam, regno Syria potietur, ergo Cesar potest uincere & uincit Turcam. Si liberum arbitrium dominetur peccato, sanctum erit Domino, ergo libe. arbi. sanctum est Domino. Sed mittamus ista nimis crassa & palam absurda, nisi quod dignissimum est, libe. arbitrium tam pulchris argumentis probari. De hoc potius dicemus, Quod necessitas neq; meritum neq; mercedem habet. Si de necessitate coactionis loquimur, uerum est, Si de necessitate immutabilitatis loquimur, falsum est. Quis enim inuito operario mercedem daret aut meritum reputet? Verum ijs qui uolenter faciunt bonum uel malum, etiam si hanc uoluntatem suis uiribus mutare non possunt, sequitur naturaliter & necessario premium uel pœna. sicut scriptum est, Reddes unicuiq; secundum opera sua. Naturaliter sequitur, si in aquam mergaris, suffocaberis, Si enataueris, saluus eris. Et ut breuiter dicam,

In merito uel mercede agitur uel de dignitate uel sequela. Si dignitatem spectes, nullum est meritum, nulla merces. Si enim lib. arb. se solo non potest uelle  
 bonum



bonum, per solam uero gratiam uult bonum (loquimur enim de lib. arb. seclusa gratia & utriusq; propriam querimus uim) quis non uidet, solius gratie esse bonam illam uoluntatem, meritum & premium? Atq; iterum hic Diatribe sibi ipsi disidet, dum ex merito arguit libertatem uoluntatis, estq; necum contra quem pugnat, in eadem damnatione, scilicet, quod contra ipsam eque pugnat, esse meritum, esse mercedem, esse libertatem, cum liberum arb. asserat superius nihil uelle boni, ac tale probandum suscepit. Si sequelam spectes, nihil est, siue bonum, siue malum, quod non suam mercedem habeat. Atq; error inleuenit, quod in meritis & premijs inutiles cogitationes & questiones uersanus de dignitate, que nulla est, cum de sola sequela disputandum sit, Manet enim impios infernus & iudicium Dei, necessaria sequela, etiam si ipsi talem mercedem pro suis peccatis, neq; cupiant neq; cogitent, imò uehementer detestentur, & ut Petrus dicit, execrentur. Ita manet pius regnum, etiam si id ipsi neq; querant nec cogitent, ut quod illis à patre suo paratum est, non solum antequam essent ipsi, sed etiam ante constitutionem mundi.

Quin si bonum operarentur propter regnum obtinendum, nunquam obtinerent, & ad impios potius pertinerent, qui oculo nequam & mercenario es, que sua sunt, querunt etiam in Deo. Filij autem Dei gratuita uoluntate faciunt bonum, nullum premium querentes,



querentes, sed solam gloriam & uoluntatem Dei,  
parati bonum facere, si per impossibile, neq; regnum  
neq; infernus esset. Hæc puto satis firma esse, uel ex  
eo solo dicto Christi, quod modo citauit Matthei .25.  
Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod  
uobis paratum est à constitutione mundi. Quomo-  
do merentur id, quod iam ipsorum est & ipsis pa-  
ratum, antequam fiant? ut rectius dicere possimus,  
regnum Dei potius meretur nos suos possessores, &  
meritum illic collocemus, ubi isti premium, & præ-  
mium illic, ubi illi meritum collocant. Regnum enim  
non paratur, sed paratum est, filij uero regni paran-  
tur, non parant regnum, hoc est, regnum meretur  
filios, non filij regnum. Sic & infernus suos poti-  
us filios meretur & parat, cum Christus dicat, Ite  
maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo  
& angelis eius.

Quid, igitur uolunt uerba promittentia  
regnum, minantia infernum? Quid toties repeti-  
ta uox mercedis per scripturas? Est ( inquit )  
merces operi tuo. Ego merces tua magna nimis.  
Item, Qui reddit unicuiq; secundum opera sua.  
Et Paulus Romanorum .2. Patientia boni operis que-  
rentibus uitam æternam, & multa similia? Respon-  
detur, ijs omnibus nihil probari, quàm sequelam  
mercedis, & nequaquam meriti dignitatem, Scilicet  
quod ij qui bona faciunt, non seruili & mercenario  
affectu



affectu propter uitam eternam, faciunt, quarunt equi-  
 tem uitam eternam, id est, sunt in ea uia, qua perue-  
 niunt & inueniunt uitam eternam, ut querere sit,  
 studio niti, & instanti opera eò conari, quod sequi  
 solet ad bonam uitam. Denunciantur autem in scrip-  
 turis ea futura esse & secutura post bonam uel malam  
 uitam, ut erudiantur, moueantur, excitentur, terre-  
 antur homines. Nam ut per legem fit cognitio peccati,  
 & admonitio impotentiae nostrae, ex qua non inferitur,  
 quod nos aliquid posimus, Ita per istas promissiones  
 & minas fit admonitio, qua docemur, quid sequatur  
 peccatum & impotentiam illam nostram lege moni-  
 stratam, non autem tribuitur per ipsas aliquid digni-  
 tatis merito nostro. Proinde, sicut uerba legis sunt  
 uice instructionis & illuminationis, ad docendum  
 quid debeamus, tum quid non posimus, ita uerba mer-  
 cedis, dum significant quid futurum sit, sunt uice ex-  
 hortationis & comminationis, quibus pij excitantur,  
 consolantur & eriguntur ad perendum, perseveran-  
 dum & uincendum, in bonis faciendis & malis feren-  
 dis, ne fatigentur aut frangantur, sicut Paulus Corin-  
 thios suos exhortatur, dicens, Viriliter agite, scientes,  
 quod labor uester non est inanis in Domino. Sic Abra-  
 ham erigit Deus dicens, Ego merces tua magna nimis.  
 Non aliter quàm si hoc modo aliquem soleris, quod opera  
 eius certo placere Deo significes, quo genere conso-  
 lationis non raro scriptura utitur. Nec parua conso-  
 latio est



no est nosse, placere se Deo, ut nihil aliud sequatur, licet id sit impossibile.

Huc pertinent omnia, quæ dicuntur de spe, & expectatione, quod certo sint futura, quæ speramus, licet pij non propter ipsa sperent, aut talia queramus sui gratia. Ita uerbis comminationis & futuri iudicij terrentur & deijciuntur impij, ut desinant & abstineant à malis, ne inflentur, securi fiant & insolescant in peccatis. Quod si hic Ratio nasum ruget & dicat, Cur ista uelit Deus per uerba fieri, cum talibus uerbis nihil efficiatur, neq; uoluntas in utram partem sese uertere possit, Cur non tacito uerbo facit, quod facit, cum possit omnia sine uerbo facere? Et uoluntas per sese nec plus ualet aut facit uerbo audito, si desit spiritus intus mouens, nec minus ualeret aut faceret uerbo tacito, si absit spiritus, cum totum pendat in uirtute & opere spiritus sancti? Dicemus. Sic placitum est Deo, ut non sine uerbo, sed per uerbum tribuat spiritum, ut nos habeat suos cooperatores, dum foris sonamus, quod intus ipse solus spirat, ubi ubi uoluerit, quæ tamen absq; uerbo facere posset, sed non uult. Iam qui sumus nos, ut uoluntatis diuinæ causam queramus? Satis est nosse, quod Deus ita uelit, & hanc uoluntatem reuereri, diligere & adorare decet, coercita rationis temeritate. Nam & Christus Matt. II. nullam aliam rationem affert, cur sapientibus abscondatur Euangelion, quod paruulis

L. his reuela-



lis reuelatur, quod sic placuit patri. Sic nos absque pane posset alere, & reuera uim alendi tribuit sine pane, ut Matthaei .4. dicit, Non alitur homo pane solo, sed uerbo Dei, placuit tamen per panem & cum pane foris adhibito, intus nos alere uerbo.

Stat igitur, ex mercede non probari meritum, saltem in scripturis. Deinde ex merito non probari liberum arbitrium, multo minus tale arbitrium liberum, quale Diatribe suscepit probandum, nempe, quod se solo nihil potest boni uelle, Nam etiam si meritum dones, & addas istas solitas rationis similitudines & sequelas, puta, frustra praecipitur, frustra mercedem promitti, frustra minas intentari, nisi liberum sit arbitrium, ijs (inquam) si quid probatur, hoc probatur, quod liberum arbitrium se solo possit omnia. Si enim se solo non potest omnia, manet illa sequela rationis, ergo frustra praecipitur, frustra promittitur, frustra minae intentantur. Sic perpetuo contra seipsam disputat Diatribe, dum contra nos disputat. Deus uero solus per spiritum suum operatur in nobis tam meritum quam premium, utrumque autem per uerbum suum eternum, toti mundo significat & declarat, ut annuncietur etiam apud impios & incredulos & ignaros, potentia & gloria sua & nostra impotentia atque ignominia, licet soli pii id corde percipiant teneantque fideles, ceteri uero contemnunt.

Iam uero nimis tedium fuerit, singula uerba impe-



ba imperatius repetere, quæ Diatribæ ex nouo te-  
 stamento enumerat, semper suas sequelas annec-  
 tens, & caussans, frustranea, superuacanea, fri-  
 gida, ridicula, nihil esse, quæ dicuntur, nisi li-  
 bera sit uoluntas. Vsq; ad multam nauseam enim  
 iam dudum diximus, quàm nihil talibus uerbis ef-  
 ficiatur, atq; si quid probetur, totum liberum ar-  
 bitrium probetur, Quod aliud nihil est, quàm to-  
 tam Diatriben subuerti, ut quæ liberum arbitrium  
 tale susceperit probandum, quod nihil boni pos-  
 sit & seruiat peccato, & probat tale, quod om-  
 nia possit, ignara & oblita sui perpetuo. Mera  
 igitur cauilla sunt, ubi sic dicit. Ex fructibus (in-  
 quit Dominus) eorum cognoscetis eos, fructus ope-  
 ra dicit, Ea nostra uocat, At ea nostra non sunt,  
 si cuncta geruntur necessitate. Obsecro te, an non  
 nostra dicuntur quàm rectissime, quæ non fecimus  
 quidem nos, recepimus uero ab alijs? Cur igitur ope-  
 ra non dicerentur nostra, quæ donauit nobis Deus per  
 spiritum? An Christum non dicemus nostrum, quia  
 non fecimus eum, sed tantum accepimus? Rursus si  
 facimus ea, quæ nostra dicuntur, ergo oculos nobis ip-  
 si fecimus, manus nobis ipsi fecimus, & pedes nobis ip-  
 si fecimus, nisi nostri non dicuntur oculi, manus, pedes,  
 imò quid habemus, quod non accepimus, ait Paulus?  
 Dicemus ne igitur, ea uel non esse nostra uel à nobis  
 ipsis esse facta? lam finge, fructus nostros dici, quia  
 I. z nos fecimus



nos fecimus, ubi manet gratia & spiritus? neq; enim dicit, Ex fructibus, qui ex parte modicula eorum sunt, cognoscetis eos. Hec potius sunt ridicula, superuacanea, frustranea, frigida, imò stulta & odiosa cauiilla, quibus sacra uerba Dei polluantur & prophnantur.

Sic luditur & illud Christi uerbum in cruce, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vbi cum expectaretur sententia, quæ lib. arb. astrueret, iterum ad sequelas iur, Quanto iustius (inquit) excusasset eos, quia non est illis libera uoluntas, nec possunt, si uelim, aliter facere? Nec tamen ista sequela probatur libe. arbitrium illud, quod nihil boni potest uelle, de quo agitur, sed illud quod omnia potest, de quo nemo agit & omnes negant, exceptis Pelagianis. Iam cum Christus palam dicat eos nescire quid faciant, an non simul testatur, eos non posse uelle bonum? Quomodo enim uelis quod ignoras? Ignoti certe nulla cupido. Quid potest robustius contra liberum arbitrium dici, quam ipsum adeo esse nihili, ut non modo non uelit bonum, sed nec sciat quidem, quantum faciat mali & quid sit bonum? An est hic obscuritas in ullo uerbo, Nesciunt quid faciunt? Quid reliquum est in scripturis, quod non queat authore Diatribe liberum arbitrium affirmare, quando hoc clarissimum & aduersantissimum uerbum Christi illi affirmat? Eadem facilitate dicat aliquis, etiam illo affirmari liberum arbitrium



arbitrium, Terra autem erat inanis & uacua, aut illo,  
requieuit Deus die septimo, aut simili, Tum uere scrip-  
turae ambiguae & obscurae erunt, Imò simul omnia &  
nihil erunt. Verum sic audere & tractare diuina uer-  
ba, arguit animum, qui sit insignis contemptor Dei &  
hominum, qui prorsus nullam mereatur patientiam.

Et illud Iohannis. i. Dedit eis potestatem filios Dei  
fieri, sic accipit, Quomodo datur illis potestas, ut filij  
Dei fiant, si nostrae uoluntatis nulla libertas est? Et  
hic locus est malleus aduersus liberum arbitrium,  
qualis est ferme totus Iohannes euangelista, tamen ad-  
ducitur pro libero arbitrio. Videamus quæso, Iohan-  
nes non loquitur de ullo opere hominis, neq; magno,  
neq; paruo, sed de ipsa innouatione & transmutatio-  
ne hominis ueteris, qui filius diaboli est, in nouum ho-  
minem, qui filius Dei est. Hic homo mere passiuè ( ut  
dicitur ) sese habet, nec facit quippiam, sed fit totus.  
De fieri enim loquitur Iohannes, fieri filios Dei dicit,  
potestate diuinitus nobis donata, non uel liberi arbitrij  
nobis insita. At nostra Diatribe hinc ducit, liberum  
arbitrium tantum ualere, ut filios Dei faciat, aut de-  
finire parata est, ridiculum & frigidum esse uerbum  
Iohannis. Quis uero unquam sic extulit liberum ar-  
bitrium, ut ei uim faciendi filios Dei tribuerit, præ-  
sertim tale, quod non potest uelle bonum, quale Dia-  
tribe assumpsit? Sed transeat hæc cum reliquis seque-  
lis, toties repetitis, quibus nihil probatur, siquid pro-

L 3 batur,



batur, quàm id quod Diatribe negat, nempe, libera-  
 rum arbitrium omnia posse. Iohannes hoc uult, Ven-  
 niente Christo in mundum per Euangelion, quo offer-  
 tur gratia, nõ autem exigitur opus, copiam fieri cunctis  
 hominibus, magnificam sane, ut filij Dei sint, si  
 credere uelint. Cæterum hoc uelle, hoc credere in nomi-  
 mine eius, sicut liberum arbitrium nunquam nouit,  
 nec cogitauit de eo antea, ita multo minus potest suis  
 uiribus. Quomodo enim ratio cogitaret, necessari-  
 am esse fidem in Ihesum filium Dei & hominis, cum  
 nec hodie capiat aut credere possit, etiam si tota cre-  
 atura clamaret, esse aliquam personam, quæ simul  
 Deus & homo sit? sed magis offenditur tali sermo-  
 ne, ut Paulus dicit. i. Corinth. i. tantum abest, ut  
 credere aut uelit aut possit, Igitur Iohannes diuicias  
 regni Dei per Euangelion mundo oblatas, non autem  
 uirtutes liberi arbitrij prædicat, simul significans,  
 quàm pauci sint, qui acceptent, repugnante scilicet  
 libero arbitrio, cuius uis nulla est alia, quàm ut reg-  
 nante super ipsum Satana, etiam gratiam & spiri-  
 tum, qui legem impleat, respuat, adeo pulchre ual-  
 let conatus & studium eius ad legem implendam. Sed  
 infra latius dicemus, quale fulmen sit hic locus Iohan-  
 nis aduersus liberum arbitrium. Non tamen mouet me  
 parum, quod loci tam clari, tam potentes, contra li-  
 berum arbitrium, adducantur pro libero arbitrio à  
 Diatribe, cuius tanta est hebetudo, ut nihil prorsus  
 inter pro



inter promissionis & legis uerba discernat, quæ cum per legis uerba ineptissime lib. arb. statuat, tum longe absurdissime per promissionis uerba confirmet. Sed soluitur hæc absurditas facile, si consideretur, quam alieno animo & contemptore Diatribe disputat, ad quam nihil attinet, gratia sit uel ruat, lib. arb. iaceat uel sedeat, taneum, ut inanibus uerbis in odium causse seruiatur tyrannis.

Post hæc uenitur & ad Paulum lib. arbitrij hostem pernicatissimum, cogiturq; & is lib. arbitriū statuere Rom. 7. An diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis eius contemnis? An ignoras, quod benignitas eius te ad pœnitentiam adducit? Quomodo (inquit) imputatur contemptus præcepti, ubi non est libera uoluntas? Quomodo Deus inuitat ad pœnitentiã, qui author est in pœnitentiã? Quomodo iusta est damnatio, ubi iudex cogit ad maleficiū? Respõdeo, De istis questionibus uiderit Diatribe. Quid ad nos? Ipsa enim dixit opinione probabili, lib. arb. non posse uelle bonum, cogiq; necessario in seruitutem peccati. Quomodo igitur imputatur ei contemptus præcepti, si non potest uelle bonum, nec est ibi libertas, sed seruitus peccati necessaria? Quomodo inuitat Deus ad pœnitentiam, qui author est, quo minus pœnitat, dum deserit uel non confert gratiam ei, qui se solo non potest bonum uelle? Quomodo est iusta damnatio, ubi iudex subtrahit auxilio cogit impium relinqui in maleficio,

L 4 cum sua



cum sua uirtute non possit aliud? Omnia recidunt in caput Diatribes, aut siquid probant (ut dixi) probant lib. arb. omnia posse, quod tamen negatum est ab ipsa & ab omnibus. Sequela illa rationis uexant Diatriben per omnia dicta scripturae, quod ridiculum & frigidum uideatur inuadere & exigere tam uehementibus uerbis, ubi non adest, qui prestare queat, cum Apostolus id agat, scilicet per minas illas perducere impios & superbos ad cognitionem sui & impotentiae suae, ut humiliatos cognitione peccati, paret ad gratiam.

Et quid opus est omnia singulatim recensere, quae ex Paulo adducuntur? cum nihil nisi imperatiua uel coniuunctiua uerba colligat, uel talia, quibus Paulus Christianos exhortatur ad fructus fidei. Diatribe uero, suis sequelis adiectis, uirtutem lib. arb. talem tantamque concipit, quae sine gratia omnia possit, quae Paulus exhortator praescribit. Christiani uero non lib. arb. sed spiritu Dei aguntur Rom. 8. Agi uero non est agere, sed rapi, quemadmodum serra aut securis a fabro agitur. Et hic ne quis dubitet, Lutherum tam absurda dicere, uerba eius recitat Diatribe, quae sane agnosco, Fatvor enim articulum illum Viglephi (omnia necessitate fieri) esse falso damnatum Constantiensi Conciliabulo, seu coniuratione potius & seditione. Quin ipsa ipsa Diatribe eundem mecum defendit, dum asserit lib. arb. suis uiribus nihil boni uelle posse, necessarioque



necessarioq; seruire peccato, licet inter probandum omnino contrarium statuatur. Hæc satis sint aduersus priorem partem Diatribes, qua lib. arbitriū statuere conata est. Posteriorem nunc uideamus, qua confutantur nostra, id est ea, quibus lib. arb. tollitur. Hic uidebis, quid famus hominis possit contra fulgura & tonitrua Dei.

Primum cum innumerabiles locos scripturae citauit pro libero arbitrio, tanquam formidabilem nimis exercitum ( ut animosos redderet confessores & martyres & omnes sanctos & sanctas liberi arbitrij, pauidos uero & trepidos omnes illos abnegatores & peccatores in liberum arbitrium) contemptibilem fingit turbam contra liberum arbitrium, atq; adeo duos tantum locos præ cæteris euidentiores facit in hac parte stare, nimirum ad cædem solum parata, eamq; non magni negocij, quorum alter est Exodi. 9. Indurauit Dominus cor Pharaonis. Alter Malachie .1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui, utrunq; uero Paulus ad Romanos latius explicans, mirum quam odiosam & inutilem disputationem, iudice Diatribe, suscepit. Nisi uero spiritus sanctus rhetorica aliquantulum gnarus esset, periculum erat, ne tanta simulati contemptus arte fractus, prorsus de causa desperaret, & palmam libero arbitrio concederet ante tubam. Sed ego infertius succenturiatus illis duobus locis, ostendam & nostras copias, quanquam ubi talis est pugnae fortuna, ut

L 5 unus fuget



unus fuget decem milia, nullis opus est copijs. Si enim  
unus locus uicerit lib. arbitrium, nihil profuerit ei  
innumerabiles sue copiae.

Hic igitur Diatribe inuenit nouam artem eludendi  
manifestissimos locos, nempe, quod tropum uelit in-  
esse uerbis simplicissimis & clarissimis, ut quemad-  
modum superius pro libe. arbi. agens, omnia uerba  
imperatiua & coniuuctiua legis, per sequelas ad-  
iectas & similitudines affectas elusit, ita nunc contra  
nos actura, omnia uerba promissionis & affirmatio-  
nis diuinae, per tropum repertum torquet, quorsum  
uisum est, ut utrobique sit incomprehensibilis Pro-  
theus. Quin id ipsum magno supercilio exigis sibi  
a nobis permitti, ut qui & ipsi soleamus, ubi urge-  
mur, tropis repertis elabi, ut ibi, extende manum tu-  
am ad quod uolueris, id est, gratia extendet manum  
tuam, ad quod ipsa uelit. Facite uobis cor nouum, id est,  
gratia faciet uobis cor nouum, & similia. Indignum  
igitur uidetur, si Luthero liceat tam uiolentam tor-  
tamque interpretationem afferre, & non multo magis  
liceat probatissimorum doctorum interpretationes  
sequi. Vides itaque hic, non de texto ipso, nec iam de  
sequelis & similitudinibus, sed de tropis & inter-  
pretationibus pugnari. Quando ergo erit, ut sim-  
plicem, purumque aliquem sine tropis & sequelis tex-  
tum, pro libero arbitrio & contra liberum arbitri-  
um habeamus? An tales textus nusquam habet scrip-  
tura? per-



tra? perpetuoq; dubia erit causa liberi arbitrij? ut  
que nullo certo textu firmatur, sed solis sequelis &  
tropis, per homines mutuo dissentientes, inductis, agi-  
tatur sicut uentis arundo.

Sic potius sentiamus, neq; sequelam neq; tropum  
in illo loco scripturae esse admittendum, nisi id cogat  
circumstantia uerborum euidentis, & absurditas rei  
manifestae, in aliquem fidei articulum peccans, sed  
ubiq; inherendum est simplici puraq; & naturali  
significationi uerborum, quam grammatica & usus  
loquendi habet, quem Deus creauit in hominibus.  
Quod si cuiuis liceat, pro sua libidine, sequelas &  
tropos in scripturis fingere, quid erit scriptura to-  
ta nisi arundo uentis agitata, aut uertumnus aliquis?  
Tum uere nihil certi neq; statuetur neq; probabi-  
tur, in ullo articulo fidei, quod non queas aliquo  
tropo cauillari. Vitari potius, sicut presentissi-  
mum uenenum, debet omnis tropus, quem non co-  
git ipsamet scriptura. Vide, quid acciderit tropo-  
logo illi Origeni in enarrandis scripturis? quam dig-  
nas praebet occasiones calumniatori Purphyrio, ut  
Hieronymo quoq; uideantur parum facere, qui Ori-  
genem tuentur. Quid accidit Arrianis in tropo illo,  
quo Christum fecerunt Deum nuncupatiuum? Quid  
nostro saeculo accidit nouis istis Prophetis, in uerbis  
Christi, Hoc est corpus meum? ubi alius in pronomi-  
ni Hoc, alius in uerbo Est, alius in nomine Corpus,  
tropicus



tropicus est. Ego id obseruavi, omnes hereses & errores in scripturis, non uenisse ex simplicitate uerborum, ut iactatur penè toto orbe, sed ex neglecta simplicitate uerborum, & ex affectatis proprio cerebro tropis aut sequelis.

Exempli gratia, Ad quodcumq; uoles extendere manum tuam, ego nunquam (quod memini) hac uiolenti interpretatione tractaui, ut dicerem, Gratia extendit manum tuam, ad quod ipsa uelit. Facite uobis cor nouum, id est, gratia faciet uobis cor nouum & similia, licet me Diatribe publico libello sic traducat, tropis scilicet & sequelis distenta & illusa, ut non uideat, quid de quo loquatur. Sed sic dixi, Extende manum & c. uerbis simpliciter, ut sonant, acceptis, seculisq; tropis & sequelis, nihil aliud significari, quam quod exigitur a nobis extensio manus, significaturq; quod facere debeamus, ut est natura uerbi imperatiui apud grammaticos & usum loquendi. Diatribe uero neglecta hac uerbi simplicitate, sequelis uero & tropis uiolenter adductis, sic interpretatur, Extende manum, id est, potes ui propria extendere manum, Facite cor nouum, id est, potestis facere cor nouum, Credite in Christum, id est, potestis credere, ut idem sit apud eam, quod imperatiue & quod indicatiue dicitur, alioqui parata est ridiculam & frustraneam facere scripturam. Atq; has interpretationes, nulli grammatico ferendas, non licet in Theologis uiolentas & affectatas



fectatas dicere, sed probatissimorum sunt docto-  
rum, tot sæculis receptorum.

Sed facile est Diatribe, tropus hoc loco admittere,  
& sequi, ut cuius nihil refert, certa ne sint an incer-  
ta, que dicuntur, Quin hoc agit, ut incerta sint om-  
nia, ut que consulti, relinquenda potius, quam scru-  
tanda esse dogmata de libero arbitrio. Ideo hoc satis  
illi fuerat, ut cunq; amoliri dicta, quibus se sentit ur-  
geri. Nobis autem, quibus res agitur seria, & qui cer-  
tissimam ueritatem pro stabiliendis conscientijs, qua-  
runt, longe aliter agendum est. Nobis inquam, non est  
satis, si dixeris, potest hic tropus esse, sed queritur,  
an debeat & oporteat tropum hic esse, quod si non  
monstraris, necessario inesse tropum, nihil prorsus  
effeceris. Stat ibi uerbum Dei, Ego indurabo cor  
Pharaonis, Si tu dixeris, sic accipiendum esse uel ac-  
cipi posse, Ego permittam indurari, Audio quidem,  
sic posse accipi, Audio hunc tropum populari sermo-  
ne uulgatum, ut ego te perdidi, quia statim non cor-  
rexi errantem. Sed non est illi probationi locus, Non  
queritur, an tropus ille sit in usu, Non queritur, an  
aliquis possit eum hoc loco Pauli usurpare, Sed hoc  
queritur, an tutum ac certum sit, recte hoc loco usur-  
pare, & an Paulus uelit eo uti, Non de alieno lecto-  
ris usu, sed de ipsius authoris Pauli usu queritur. Quid  
facies conscientia sic querenti? Ecce Deus author di-  
cit, Indurabo cor Pharaonis, aperta & nota est sig-  
nificatio uer-



nificatio uerbi Indurare, Homo uero lector dicitur  
 hi, Indurare hoc loco est occasionem indurandi dare,  
 dum non statim corrigitur peccator, Quia auctori-  
 tas? Quo consilio? qua necessitate? uocis illa natura-  
 lis significatio mihi sic torquetur? Quid si erret lec-  
 tor & interpres? unde probatur illam toruram uer-  
 bi hoc loco fieri debere? Periculosum imo impium  
 est, uerbum Dei sine necessitate, sine auctoritate tor-  
 quere. An huic animulæ laboranti tum sic consules,  
 Origenes sic sensit, Aut sic, Desine talia scrutari,  
 cum sint curiosa & superuacanea? At illa responde-  
 bit, Hoc Mosen & Paulum admoneri oportuerat cre-  
 tequam scriberent, atq; adeo ipsum Deum, Ut quid  
 nos curiosis & superuacaneis scriptis deuexant.

Non iuuat itaq; Diatriben hoc miserum effugium  
 troporum, Sed tenendus est hic fortiter Protheus nos-  
 ter, ut nos faciat certissimos de tropo huius loci, idq;  
 uel clarissimis scripturis uel euentibus miraculis.  
 Ipsi sic opinanti, etiam consentiente omnium seculor-  
 um industria, nihil credimus, sed pergitur & ur-  
 gemus, tropum hic nullum esse posse, simpliciter uer-  
 ro, ut sonant uerba, sermonem Dei esse accipiendum.  
 Neq; enim nostri arbitrij est ( ut Diatribe sibi per-  
 suadet ) uerba Dei fingere & refingere, prohibere  
 nostra, alioqui quid reliquum est in tota scriptura,  
 quod non redeat ad Anaxagoræ philosophiam, ut  
 quodlibet ex quolibet fiat? Dicam enim, Deus crea-  
 uit cælum



ut cœlum & terram, id est, disposuit, non autem fecit ex nihilo, vel Creauit cœlum & terram, id est, angelos & demones, uel iustos & impios. Quis, rogo, tum non statim aperto libro, theologus fuerit? Sit igitur hoc ratum ac fixum, quando Diatribe non potest probare tropum inesse his locis nostris, quos diluit, concedere cogitur nobis, uerba, ut sonant, esse accipiendā, etiam si probaret, alias tropum eundem in omnibus locis scripturæ & in omnium usu esse uulgatissimum. Atq; per hoc semel defensa sunt omnia nostra, que confutare uoluit Diatribe, inuentaq; est confutatio eius prorsus nihil efficere, nihil posse, nihil esse.

Quando igitur illud Mosi, Indurabo cor Pharaonis, sic interpretatur, Mea lenitas, qua tolero peccantem, alios quidem ad pœnitentiam adducit, Pharaonem autem obstinatioem reddet in malicia, pulchre dicitur, sed non probatur, sic oportere dici, Nos uero non contenti dicto, probatum querimus. Item illud Pauli, Misereatur cuius uult, indurat quem uult, Plausibiliter interpretatur, id est, Deus indurat, cum non statim castigat peccantem, misereatur, cum mox ad pœnitentiam per afflictiones inuitat, Sed quo probatur hæc interpretatio? Item illud Esaie, Errare nos fecisti de uis tuis, indurasti cor nostrum, ne timeremus te. Esto Hieronymus ex Origene sic interpretatur, Seducere dicitur, qui non statim reuocat ab errore, Quis nos certos facit, Hieronymum & Origenem recte interpretari?



interpretari? Denique pactum nostrum est, non dicitur  
 ritate alicuius doctoris, sed solius scripturae nos uelle  
 confligere. Quos igitur Origenes? Quos Hieronymus,  
 Diatribe nobis oblita pacti, objicit? cum inter  
 Ecclesiasticos scriptores nulli fere sint, qui ineptius  
 & absurdius diuinas literas tractarint, quam Orige-  
 nes & Hieronymus. Et ut uno uerbo dicam, illuc re-  
 dit licentia ista interpretandi, ut noua & inaudita  
 grammatica, omnia confundantur, ut cum Deus dicit,  
 Ego indurabo cor Pharaonis, mutatis personis sic ac-  
 cipias, Pharaon indurat sese mea lenitate, Deus indur-  
 rat cor nostrum, id est, nos ipsi induramus nos Deo  
 poenas differente. Tu Domine errare nos fecisti, id  
 est, nos errare fecimus nos ipsos, te non castigante. Ita  
 Deum misereri iam non significat, donare gratiam,  
 aut exhibere misericordiam, remittere peccatum,  
 iustificare, aut a malis liberare, sed contra, signifi-  
 cat inferre malum & castigare.

Istis tropis tandem id efficitur, ut dicas, Deum  
 fuisse miserum filijs Israel, dum illos in Assyriam &  
 Babylonem transtulit, ibi enim castigauit peccatores,  
 ibi per afflictiones ad poenitentiam inuitauit. Rursum  
 cum reduxit eos & liberauit, tum non fuit miserus,  
 sed indurauit, hoc est, lenitate sua & misericordia  
 occasionem dedit, ut indurarentur. Sic quod Chri-  
 stum saluatorem misit in mundum, non dicitur esse mi-  
 sericordia Dei, sed induratio, quod hac misericordia  
 occasio



occasionem dedit hominibus sese indurandi. Quod  
 vero Ierusalem uastauit, & Iudeos perdidit in hunc  
 usque diem, ibi miseretur eorum, quia castigat peccantes  
 & ad poenitentiam inuitat. Quod sanctos in caeli uehet  
 in die iudicij, non faciet miserendo, sed indurando, quia  
 bonitate sua occasionem dabit abutendi. Quod impios  
 uero trudet ad inferos, ibi miserebitur, quia castigat  
 peccatores. Obsecro quis unquam istas misericordias  
 & iras Dei audiuit? Esto sane, quod boni tui leni-  
 tate tui seueritate Dei meliores fiant, tamen cum si-  
 mul de bonis & malis loquimur, facient isti tropi ex  
 misericordia Dei iram, & ex ira misericordiam,  
 penitus peruerso loquendi usu, dum hoc uocam iram,  
 cum Deus benefacit, & misericordiam, dum affligit.  
 Quod si tui dicendus est Deus indurare, cum benefa-  
 cit & tolerat, misereri uero, cum affligit & casti-  
 gat, cur magis Pharaonem dicitur indurasse, quam fi-  
 lios Israel, aut etiam totum mundum? an non benefecit  
 filiis Israel? non benefacit toti mundo? non tolerat ma-  
 los? non pluit super bonos & malos? Cur magis di-  
 citur misertus filijs Israel quam Pharaoni? an non aff-  
 lixit filios Israel in Aegypto & deserto? Esto, quod  
 alij abutantur, alij recte utantur Dei bonitate & ira,  
 Tu tamen hoc desinis, Indurare esse id, quod indulge-  
 re malis lenitate & bonitate, Misereri uero esse non  
 indulgere, sed uisitare & corripere. Igitur quantum  
 ad Deum attinet, ipse perpetua bonitate nihil aliud  
 facit,

M facit,



facit quod indurat, perpetua correptione nihil aliud facit, quam quod miseretur.

Verum hoc longe pulcherrimum, Indurare dicitur Deus, cum peccatoribus indulget lenitate. Misereri uero, cum uisitat et affligit ad penitentiam inuitans seueritate. Quid, rogo, omisit Deus in affligendo, castigando, uocando Pharaone ad penitentiam? Non numerantur illic decem plaga? Si tua definitio stat, quod misereri sit peccatore statim castigare et uocare, Pharaoni certe miserus fuit Deus. Cur ergo Deus non dicit, Ego miserabor Pharaonis, sed dicit, Ego indurabo cor Pharaonis? In eo ipso enim, quod miseretur eius, id est, ut tu dicis, affligit et castigat, dicit, Indurabo eum, id est, ut tu dicis, benefaciam et tolerabo eum, Quid monstruosus audivi posset? Vbi nunc sunt tropi tui? Vbi Origenes? Vbi Hieronymus? Vbi probatissimi doctores, quibus unus homo Lutherus temere contradicit? Sed sic loqui cogit imprudentia carnis, dum in uerbis Dei ludit, nec credit esse seria. Euincit igitur textus ipse Mosi irrefragabiliter, tropos illos esse fictos et nihili hoc loco, longeque aliud et maius quiddam ultra beneficentiam et afflictionem et castigationem significari illis uerbis, Ego indurabo cor Pharaonis, cum negare nequeamus, utrunque fuisse in Pharaone summo studio et cura tentatum. Quae enim ira et castigatio instantior, quam dum tot signis, tot plagis percutitur, ut talia non fuisse unquam etiam ipse Moses testetur? Denique ipse Pharaon



Pharao non semel uelut respiciens illis mouetur, sed non permouetur nec perseuerat. Quae etiam lenitas & beneficentia largior, dum tam facile tollit plagas, ac toties remittit peccatum, toties reducit bona? toties aufert mala? Vtraque tamen nihil faciunt, adhuc dicit, indurabo cor Pharaonis. Vides igitur, Etiam si tua induratio & misericordia (id est glose & tropi tui) concedatur in summo gradu & usu & exemplo, quales in Pharaone est cernere, adhuc stat induratio et aliam esse necesse est, de qua Moses dicit, et alia quam tu somnias.

Sed quando cum fidelibus & laruis pugnamus, laruenur & nos, fingamusque per impossibile, tropum, quem Diatribe somniat, ualere hoc loco, uisuri quomodo elabatur, ne affirmare cogatur, solius Dei uoluntate, nostra uero necessitate omnia fieri, & quo modo excuset Deum, ne ipse sit author & culpa nostra indurationis. Si uerum est, quod tunc indurare dicitur Deus, cum lenitate sua tolerat, nec statim punit, utrunque adhuc perstat. Primum quod nihilominus homo necessario seruit peccato, nam ubi concessum fuerit, lib. arbi. non posse uelle quicquam boni (quale suscepit Diatribe) lenitate tolerantis Dei nihilo melius fit, sed necessario peius, nisi addatur ei spiritus Deo misericorditer, Quare adhuc necessitate nostra fiunt omnia. Alterum, quod aequae Deus crudelis esse uidetur tolerando per lenitatem, atque a nobis predicari putatur, quod indurat uolendo uoluntate illa imperscrutabili.

M z Nam cum



Nam cum uideat lib. arb. non posse uelle bonum, fieri  
 riq; peius lenitate tolerantis, hac ipsa lenitate crude-  
 lissimus, ac delectari uidetur nostris malis, cum possit  
 ijs mederi, si uellet, possetq; non tolerare si uellet,  
 imò nisi uellet, tolerare non posset, Quis cum cogit  
 inuitum? Stante ergo illa uoluntate, sine qua nihil fit,  
 & dato, quod liberum arbi. nihil boni potest uelle,  
 frustra dicitur, quicquid dicitur, pro excusando Deo  
 & accusando lib. arb. Semper enim dicit lib. arb.  
 Ego non possum, & Deus non uult, quid faciam? Mi-  
 seretur sane me affligendo, nihil inde promoueo, sed  
 deterior fiam, necesse est, nisi spiritum donet. Sed  
 hunc non donat, donaret autem si uellet, Velle igitur  
 eum non dare, certum est.

Nec similitudines allatae quicquam faciunt ad rem,  
 ubi dicitur, sicut eodem sole limus durefcit & cera  
 liquefcit, Et ex eodem hymbre terra culta fructum,  
 terra inculta spinas profert, ita eadem lenitate Dei,  
 alij indurantur, alij conuertuntur. Non enim lib. arb.  
 in duo diuersa ingenia diuidimus, ut aliud sit uelut li-  
 mus, aliud cera, aut aliud terra culta, aliud inculta  
 terra, Sed de uno in omnibus hominibus equaliter im-  
 potente loquimur, quod non nisi limus, non nisi terra  
 inculta est, ut quod non possit uelle bonum, Neq;  
 Paulus dicit, quod Deus fctor faciat aliud uas in ho-  
 norem, aliud in ignominiam, ex diuerso luto, Sed ex  
 EODEM, (inquit) luto facit &c. Ideo sicut limus  
 semper



semper fit durior, & terra inculta spinosior, ita lib.  
arb. semper fit peius, tam lenitate solis indurante,  
quàm tempestate pluuiæ liquefaciente. Si est igitur  
unius definitionis, eiusdemq; impotentia lib. arb. in  
omnibus hominibus, nulla potest ratio reddi, cur unum  
perueniat ad gratiam, & alterum non perueniat, si  
nihil aliud prædicetur, quàm lenitas tolerantis & ca-  
stigatio miserentis Dei. Positum est enim lib. arb. in  
omnibus hominibus æquali definitione, nihil posse uel  
le boni. Tum nec Deus quemquam eliget, nec electio-  
nis ullus locus relinquitur, sed sola libertas arbitrij,  
lenitatem & iram acceptans uel refutans. Spoliatus  
uero Deus uirtute & sapientia eligendi, quid erit nisi  
idolum fortunæ, cuius numine omnia temere fiunt? Et  
tandem eò uenietur, ut homines salui fiant & dam-  
nentur ignorante Deo, ut qui non discreuerit certa  
electione saluandos & damnandos, sed oblata omni-  
bus generali lenitate tolerante & indurante, tum mise-  
ricordia corripiente & puniente, hominibus relique-  
rit, utri uelint salui fieri aut damnari, ipse interim  
forte ad conuiuium Aethiopum profectus, ut Home-  
rus dicit.

Talem Deum nobis & Aristoteles pingit, qui dor-  
miat scilicet, & sinat sua bonitate & correptione uti  
& abuti quoslibet. Nec Ratio aliter de ipso potest iu-  
dicare, quàm hic Diatribe facit. Sicut enim ipsa str-  
uit & contemnit res diuinæ, sic iudicat & de Deo,  
M 3 quasi

*lege et  
uide*



quasi stertat, & omīssa eligendi, discernendi, insi-  
 randi sapientia, uoluntate & presentia, hominibus  
 mandarit negotiosum istud & molestum opus, leni-  
 tatem & iram suam, acceptandi & refutandi. Huc  
 uenitur, dum ratione humana, Deum metiri & excu-  
 sare uolumus, dum secreta maiestatis non reueremur,  
 sed penetramus scrutantes, ut oppressi gloria pro  
 una excusatione mille blasphemias euomamus, nec no-  
 stri interim memores, sed simul & contra Deum &  
 nos garrientes uelut insani, dum magna sapientia pro  
 Deo, & pro nobis dicere uolumus. Nam hic uidet,  
 quid ex Deo faciat iste tropus & glosa Diatribes.  
 Deinde quā bene sibi constet, quae antea lib. arb. in  
 omnibus hominibus una definitione fecit aequale & si-  
 mile, nunc inter disputandum, propriae definitionis  
 oblita, aliud facit cultum, aliud incultum, ex diuersi-  
 tate operum & morum & hominum, diuersa faciens  
 arbitria libe. Aliud quod bonum faciat, aliud quod  
 non faciat, atq; id suis uiribus ante gratiam, quibus ui-  
 ribus ipsum nihil posse uelle boni ante defuierat. Ita  
 fit, dum soli uoluntati Dei non permittimus induran-  
 di & miserendi & omnia faciendi uoluntatem & pa-  
 tentiam, ipsi libero arbitrio omnia posse tribuamus  
 sine gratia, quod tamen negauimus quicquam boni pos-  
 se sine gratia. Nihil igitur huc ualet similitudo solis  
 & hymbri, Rectus Christianus ea similitudine uter-  
 tur, ut solem & hymbrem uocet Euangelion, sicut  
 facit



facit Psalm. 18. & Epistola ad Ebreos .10. cultam  
 uero terram electos, incultam reprobos, illi enim  
 uerbo edificantur & meliores fiunt, illi offenduntur  
 & peiores fiunt, Alioqui lib. arb. per sese in omnia  
 bus hominibus est terra inculta & regnum Satanae.

Causas etiam uideamus fingendi huius tropi in hoc  
 loco. Absurdum (ait Diatribe) uidetur, ut Deus, qui  
 non solum iustus, uerum etiam bonus est, indurasse di-  
 catur cor hominis, ut per illius maliciam, suam illustra-  
 ret potentiam, Quare ad Origenem recurrit, qui fa-  
 tetur occasionem indurationis datam a Deo, culpam  
 tamen in Pharaonem reijcit. Insuper idem annotauit,  
 quod Dominus dixit, In hoc ipsum excitauit te, non ait,  
 in hoc ipsum feci te, Alioqui Pharaon non fuisset im-  
 pius, si talem condidisset Deus, qui contemplatus est  
 omnia opera sua, & erant ualde bona. Haec illa. Ab-  
 surditas itaq; una est principalium causarum, ne uer-  
 ba Mosi & Pauli simpliciter accipiantur. Sed ea ab-  
 surditas in quem peccat articulum fidei? aut quis illa  
 offenditur? Ratio humana offenditur, quae cum in om-  
 nibus uerbis & operibus Dei caeca, surda, stulta,  
 impia & sacrilega est, hoc loco, adducitur iudex  
 uerborum & operum Dei. Eodem argumento ne-  
 gabis omnes articulos fidei, quod longe absurdissi-  
 mum sit, & ut Paulus ait, Stultitia gentibus & scan-  
 dalum Iudeis, Deum esse hominem, uirginis filium,  
 crucifixum, sedentem in dextera patris. Absurdum  
 M 4 est (in=



est (inquam) talia credere. Fingamus igitur tropos aliquos cum Arrianis, ne Christus sit simpliciter Deus. Fingamus tropos cum Manicheis, ne sit uerus homo, sed fantasma per uirginem, ceu radius per nitrum, lapsum, & crucifixum. Sic pulchre scripturas tractabimus.

Sed nec profunt tamen tropi, nec euaditur absurditas. Absurdum enim manet (ratione iudice) ut Deus ille iustus & bonus, exigat a lib. arb. impossibilia. Et cum lib. arb. non possit uelle bonum, necessarioq; seruiat peccato, tamen imputet ei, Et dum non confert spiritum, nihil mitius aut clementius faciat, quam si induret uel indurari permittat. Hæc dictabit ratio non esse boni & clementis Dei, Superant nimio captum illius, nec captiuare etiam sese potest, ut credat bonum esse Deum, qui talia faciat & iudicet, sed seclusa fide, palpare & uidere & comprehendere uult, quomodo sit bonus & non crudelis. Comprenderet uero tunc, quando sic de Deo diceretur, Neminem indurat, neminem damnat, sed omnibus miseretur, omnes saluos facit, ut destructo inferno, positoq; metu mortis, nulla pœna formidaretur futura. Ideo sic astuat & contendit, ut Deum excuset & defendat, iustum & bonum. Sed fides & spiritus aliter iudicant, qui Deum bonum credunt, etiam si omnes homines perderet. Et quid prodest, nos istis cogitationibus fatigari, ut culpam indurationis in lib. arbitrium reijciamus, si

cialib.



aut lib. arb. toto mundo totisq; uiribus, quicquid po-  
 test, nullum tamen exemplum edet, quo uel uitare  
 possit, ne induretur, nisi spiritum dederit Deus, uel  
 quo misericordiam mereatur, si suis uiribus relictum  
 fuerit. Quid enim refert, an induretur uel mereatur  
 indurari, cum induratio necessario insit, donec inest  
 impotentia illa, qua non potest uelle bonum, teste ipsa  
 Diatribe? Cum igitur absurditas non tollatur istis tro-  
 pis, aut si tollatur, maiores afferuntur absurditates,  
 et libero arbitrio omnia tribuuntur, facessant inuti-  
 les et seductores tropi, puroq; et simplici uerbo  
 Dei haereamus.

Altera causa, quod ea, quae fecit Deus sunt ualde  
 bona, nec Deus dixit, feci te in hoc ipsum, sed excita-  
 ui in hoc ipsum. Primo dicimus, quod hoc dictum est  
 ante lapsum hominis, ubi quae Deus fecerat, erant ual-  
 de bona. Sed mox sequitur tertio capite, quomodo sit  
 homo factus malus, desertus a Deo ac sibi relictus. Ex  
 quo homine sic corrupto, nati sunt omnes impij, etiam  
 Pharao, sicut Paulus ait, Erant omnes natura filij  
 irae, sicut et ceteri. Condidit igitur Deus Pharaonem  
 impium, hoc est, ex impio et corrupto semine, sicut  
 in Proverbijs Salomonis dicit, Omnia propter semet-  
 ipsum fecit Dominus, etiam impium ad diem malum,  
 non quidem creando maliciam in eo, sed ex malo se-  
 mine, formando eum et regendo. Non igitur sequi-  
 tur, Deus condidit impiu, ergo non est impius, Quo-

M 5 modo



modo enim non est impius, ex impio semine? sicut dicit Psal. 50. Ecce in peccatis conceptus sum. Et Iob, Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Licet enim Deus peccatum non faciat, tamen naturam peccato, subtracto spiritu, uitiatam, non cessat formare & multiplicare, tanquam si faber ex ligno corrupto statuas faciat. Ita qualis est natura, tales sunt homines, Deo creante & formante illos ex natura tali. Secundo dicitur, si de operibus Dei post lapsum intelligi uoles, Erant ualde bona, Obseruabis hoc dici, non de nobis, sed de Deo. Non enim dicit, Vidit homo, quæ fecerat Deus, & erant ualde bona. Multa uidentur Deo & sunt bona ualde, quæ nobis uidentur & sunt pessima, Sic afflictiones, mala, errores, infernus, imò omnia optima opera Dei sunt coram mundo pessima & damnabilia. Quid Christo & Euangelio melius? at quid mundo execratius? Igitur quomodo sint bona coram Deo, quæ nobis mala sunt, solus Deus nouit, & ij, qui oculis Dei uident, id est, qui spiritum habent. Sed tam acuta disputatione nondum opus est, Sufficit interim illa prior responsio.

Queritur fortassis, quo modo Deus mala in nobis dicatur operari, ut indurare, tradere desiderijs, seducere & similia? Oportuit sane uerbis Dei contentos esse, & simpliciter credere, quod dicunt, cum sint opera Dei prorsus inenarrabilia, tamen in obsequium Rationis, id est, stultitiæ humanæ, libet ineptire

& stult.



Et balbutiendo tentare, si quis possi-  
 mus eam mouere. Primum etiam Ratio & Diatribe  
 concedit, Deum omnia in omnibus operari, ac sine  
 ipso nihil fieri nec efficax esse, Est enim omnipotens,  
 pertinetq; id ad omnipotentiam suam, ut Paulus ait  
 ad Ephesios. Iam Satan & homo lapsi & deserti  
 a Deo, non possunt uelle bonum, hoc est, ea quae  
 Deo placent, aut quae Deus uult, Sed sunt in sua de-  
 sideria conuersi perpetuo, ut non possint non quere-  
 re quae sua sunt. Haec igitur eorum uoluntas & na-  
 tura sic a Deo auersa, non est nihil. Neq; enim Sa-  
 tan & impius homo nihil est, aut nullam naturam aut  
 uoluntatem habent, licet corruptam & auersam na-  
 turam habeant. Illud igitur reliquum, quod dicimus  
 naturae in impio & Satana, ut creatura & opus Dei,  
 non est minus subiectum omnipotentiae & actioni  
 diuinae, quam omnes aliae creaturae & opera Dei.  
 Quando ergo Deus omnia in omnibus mouet &  
 agit, necessario mouet etiam & agit in Satana &  
 impio, Agit autem in illis taliter, quales illi sunt  
 & quales inuenit, hoc est, cum illi sint auersi &  
 mali, & rapiantur motu illo diuinae omnipotentiae,  
 non nisi auersa & mala faciunt, tanquam si eques  
 agat equum tripodem uel bipedem, agit quidem ta-  
 liter, qualis equus est, hoc est, equus male incedit.  
 Sed quid faciat equus? equum talem simul agit cum  
 equis sanis, illo male, istis bene, aliter non potest,  
 nisi equus



nisi equus sanetur. Hic uides, Deum, cum in malis & per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos faciat, quia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis utitur, quae raptum & motum potentiae suae non possunt euadere. Vitium ergo est in instrumentis, quae otiosa Deus esse non sinit, quod mala faciunt, mouente ipso Deo, Non aliter quam si fiber securi ferrata & dentata male secaret. Hinc fit, quod impius non possit non semper errare & peccare, quod raptu diuinae potentiae motus occurrere non sinitur, sed uult, cupiat, faciat taliter, qualis ipse est.

Hec rata & certa sunt, si credimus omnipotentem esse Deum. Deinde impium esse creaturam Dei, auersam uero relictamque sibi sine spiritu Dei non posse uelle aut facere bonum. Omnipotentia Dei facit, ut impius non possit motum & actionem Dei euadere, sed necessario illi subiectus pareat. Corruptio uero seu auersio sui a Deo, facit, ut bene moueri & rapi non possit. Deus suam omnipotentiam non potest omittere propter illius auersionem, impius uero suam auersionem non potest mutare. Ita fit, ut perpetuo & necessario peccet & erret, donec spiritu Dei corrigatur. In his uero omnibus Satan adhuc in pace regnat, & atrium suum quietum possidet sub motu isto diuinae omnipotentiae. Post haec uero sequitur indurationis negotium, quod sic habet. Impius (ut diximus) sicut princeps



princeps suus Satan, totus est uersus ad se & ad sua,  
 non requirit Deum, nec curat ea, que Dei sunt, suas  
 opes, suas glorias, sua opera, suum sapere, suum po-  
 te, & omnino suum regnum querit, illisq; uult in pa-  
 ce frui. Quod si quis ei resistat aut aliquid horum uo-  
 luerit imminuere, eadem auersione, qua illa querit,  
 etiam mouetur & indignatur & furit in aduersari-  
 um. Et non tam potest non furere, quam non potest  
 non cupere & querere. Et tam non potest non cupe-  
 re, quam non potest non esse, cum sit creatura Dei,  
 licet uiuata. Hic est ille furor mundi aduersus Euan-  
 gelion Dei, Nam per Euangelion uenit ille fortior,  
 uicturus atrij quietum possessorem, & damnat istas  
 cupiditates glorie, opum, sapientie & iustitie pro-  
 prie & omnia in quibus confidit. Hec ipsa irritatio  
 impiorum, cum Deus illis contrarium dicit aut facit,  
 quam uellent, est ipsorum induratio & ingrauatio.  
 Nam cum per sese sint auersi ipsa nature corruptio-  
 ne, tum multo magis auertuntur & peiores fiunt, dum  
 ipsorum auersioni resistitur aut detrahitur. Sic Pha-  
 raoni impio crepturus tyrannidem, irritauit eum &  
 magis indurauit & aggrauauit cor eius, dum illum  
 per uerbum Mosi, uelut regnum ablatum & popu-  
 lum sue tyrannidi subtracturi, inuasit, & intus spiri-  
 tum non dedit, sed ipsius impiam corruptionem per-  
 misit Satana regnante, succensere, intumescere, fure-  
 re & procedere, cu securitate quadam & contemptu.

Non igitur



Non igitur quispiam cogitet, Deum, cum dicitur  
indurare, aut malum in nobis operari (indurare enim  
est malum facere) sic facere, quasi de nouo in nobis  
malum creet, ac si fingas malignum cauponem, qui ipse  
se malus, in uas non malum fundat aut temperet uen-  
uum, ipso uase nihil faciente, quam quod recipiat ut  
patiatur temperatoris malignitatem. Sic enim fruges  
uidentur hominem per sese bonum aut non malum,  
pati à Deo malum opus, dum audiunt à nobis dici, De-  
um in nobis operari bona & mala, nosq; metra ne-  
cessitate passiuu subijci Deo operanti, non satis cogi-  
tantes, quam inquietus sit actor Deus in omnibus crea-  
turis suis, nullamq; sinat feriari. Sed ita cogit, qui  
utcumq; talia uolet intelligere, in nobis, id est, per nos  
Deum operari mala, non culpa Dei, sed uitio nostris,  
qui cum simus natura mali, Deus uero bonus, nos ad ma-  
lone sua pronatura omnipotentia sue rapiens, aliter  
facere non possit, quam quod ipse bonus, malo in-  
strumento malum faciat, licet hoc malo, pro sua sa-  
pientia utatur bene ad gloriam suam & salutem nos-  
tram. Sic Satanae uoluntatem malam inueniens, non  
autem creans, sed deferente Deo, & peccante Satana  
malam factam, arripit operando, & mouet quorsum  
uult, licet illa uoluntas mala esse non destinat, hoc ipso  
motu Dei, Hoc modo dixit Dauid. z. Regum de Simeon,  
Sine illum, ut maledicat, Dominus enim precepit illi,  
ut maledicat Dauid. Quomodo precipiat Deus ma-  
ledicere,



edicere, scilicet, tam uirulentum & malum opus?  
 Externum non erat usquam tale praeceptum. Respicit  
 igitur Dauid illo, quod Deus omnipotens dixit & fac-  
 ta sunt, hoc est, uerbo aeterno omnia facit. Itaque uo-  
 luntatem Sinei iam malam cum omnibus membris, con-  
 tra Dauid antea accensam, oblato oportune Dauid, ut  
 merito talem blasphemiam, rapit diuina actio & om-  
 nipotentia, & ipse Deus bonus, per malum & blas-  
 phemum organum praecipit, id est, uerbo dicit &  
 facit, scilicet raptu actionis suae hanc blasphemiam.

Sic indurat Pharaonem, cum impie & male eius  
 uoluntati offert uerbum & opus quod illa odit, uir-  
 tute scilicet ingenito & naturali corruptione, Atque  
 cum Deus spiritu intus eam non mutet, pergat uero  
 offerendo & obtrudendo, Pharaon uero uires, opes,  
 potentiam suam considerans, illis eodem naturali uirtute  
 confidit, fit, ut hinc suarum rerum imaginatione infla-  
 tus & exaltatus, illinc uero humilitate Mosi & uerbi  
 Dei abiecta forma uenientis, superbus contemptor  
 factus, induretur, tum magis ac magis irritetur & in-  
 grauetur, quo magis Moses instat & minatur. Haec  
 autem uoluntas eius mala, se sola non moueretur aut  
 induraretur, sed omnipotens actor, cum illam agat  
 inuitabili motu, ut reliquas creaturas, necesse est  
 eam aliquid uelle, Tum simul foris offert, quod natu-  
 raliter illam irritat & offendit, fit, ut Pharaon non  
 possit uitare indurationem suam, sicut uitare non potest &  
 omnipotentis



omnipotentia diuina actionem, & auersionem sententiam suam uoluntatis. Quare induratio Pharaonis per Deum sic impletur, quod foris obicit malicia eius, quod ille odit naturaliter, tum intus non cessat mouere omnipotente motu, malam (ut inuenit) uoluntatem, Illeq; pro malicia uoluntatis suae non potest non odisse contrarium sibi & confidere suis uiribus, sic obstinatur, ut neq; audiat neq; sapiat, Sed rapiatur possessus a Satana, uelut insanus & furens.

Hec si persuasimus, uicinus in hac causa, & exploratis tropis & glossis hominum, uerba Dei simpliciter accipimus, ne sit necesse Deum excusare, uel iniquitatis arguere. Cum enim dicit, Ego indurabo cor Pharaonis, simpliciter loquitur ac si sic diceret, Ego faciam, ut cor Pharaonis induretur, seu, ut me operante & faciente, induretur, Quod quomodo fiat, audimus, Scilicet intus generali motu ipsam mouebo uoluntatem malam, ut suo impetu & cursu uolendi peragat, nec cessabo mouere nec possum aliter, Foris uero offeram uerbum & opus, in quod impinget impetus ille malus, cum aliud non possit, nisi male uelle, me ipsum malum mouente uirtute omnipotentiae. Sic certissimus erat, & certissime pronuntiabat Deus, Pharaonem esse indurandum, ut qui certissimus erat, Pharaonis uoluntatem nec motui omnipotentiae resistere, nec maliciam suam deponere, nec oblatum aduersarium Moysen admittere posse, sed manente uoluntate eius



eius mala, necessario peiorem, durio-  
 rem & superbiorem fieri, dum cursu & impetu suo impingeret in  
 id quod nolebat & quod contemnebat, confusus poten-  
 tia sua. Ita uidet hic, etiam hoc ipso uerbo confirmari,  
 libe. arb. nihil nisi malum posse, dum Deus qui non  
 fallitur ignorantia, nec mentitur nequitia, tam secure  
 promittit indurationem Pharaonis, certus uidelicet,  
 quod uoluntas mala non nisi malum uelle possit, &  
 oblato bono sibi contrario, non nisi peior fieri possit.  
 Reliqua igitur sunt, ut querat quispiam, Cur Deus non  
 cesset ab ipso motu omnipotentiae, quo uoluntas impi-  
 orum mouetur, ut pergat mala esse & peior fieri?  
 Respondetur, hoc est optare, ut Deus propter impios  
 desinat esse Deus, dum eius uirtutem & actionem op-  
 tas cessare, scilicet, ut desinat esse bonus, ne illi fiant,  
 peiores. At cur non simul mutat uoluntates malas,  
 quas mouet? Hoc pertinet ad secreta maiestatis, ubi  
 incomprehensibilia sunt iudicia eius. Nec nostrum  
 hoc est querere, sed adorare mysteria haec. Quod si  
 caro & sanguis hic offensa murmuret, Murmuret  
 sane, sed nihil efficiet, Deus ideo non mutabitur. Et si  
 scandalisati impij discedant quam plurimi, Electi ta-  
 men manebunt. Idem dicetur illis, qui querunt, Cur  
 permisit Adam ruere, & cur nos omnes eodem pec-  
 cato infectos condidit, cum potuisset illum seruare &  
 nos aliunde uel primum purgato semine, creare. Deus  
 est, cuius uoluntatis nulla est causa nec ratio, qua illi  
 N ceure



ceu regula & mensura prescribatur, cum nihil sit illi  
 æquale aut superius, sed ipsa est regula omnium. Si  
 enim esset illi aliqua regula uel mensura, aut causa aut  
 ratio, iam nec Dei uoluntas esse posset, Non enim  
 quia sic debet uel debuit uelle, ideo rectum est, quod  
 uult, Sed contra, Quia ipse sic uult, ideo debet rec-  
 tum esse quod fit. Creature uoluntati causa & ratio  
 prescribitur, sed non Creatoris uoluntati, nisi alium  
 illi prescriberis creatorem.

His puto satis confutatam esse tropologam Dia-  
 triben cum suo tropo, tamen ad ipsum textum ueniamus,  
 uisuri, quam conueniat inter ipsam & tropum.  
 Mos est enim omnium, qui tropis eludunt argumen-  
 ta, ut textu ipso fortiter contempto, hoc solum labo-  
 rent, ut excerptum uocabulum aliquod tropis tra-  
 queant, ac suo sensu crucifigant, nullo respectu habi-  
 to, uel circumstantiarum, uel sequentium & prece-  
 dentium, uel intentionis aut cause authoris. Sic Dia-  
 tribe hoc loco, nihil morata, quid agat Moses, aut  
 quorsum tendat eius oratio, uoculam hanc, Ego indu-  
 rabo (qua offenditur) e textu rapit, fingitq; pro li-  
 bidine, interim nihil cogitans, quomodo sit rursus in-  
 serenda, & coaptanda, ut quadret corpori textus,  
 Atq; hæc est illa ratio, cur scriptura non sit satis dilu-  
 cida apud tot sæculis receptissimos ac doctissimos ui-  
 ros, Nec mirum, quando nec sol talibus artibus peti-  
 tus lucere posset. Sed ut omittam, quod superius  
 monstrauit,



monstrauit, Pharaonem non recte dici induratū, quod lenitate Dei toleratus, non sit statim punitus, cum tot plagis castigatus sit. Quid opus erat, ut Deus toties promitteret sese induraturū cor Pharaonis, tunc cum signa fierent, qui iam ante signa & ante eam indurationem talis fuit, ut qui lenitate diuina toleratus nec punitus, tot mala intulerit filijs Israel, successu prospero & opibus inflatus, si indurare dicitur, diuina lenitate tolerari nec statim punire? Vides igitur prorsus nihil ad rem facere tropū istum hoc loco? ut qui generaliter ad omnes pertinet, qui peccāt lenitate diuina tolerati. Sic enim omnes homines indurari dicemus, cum nemo non peccet, peccaret uero nullus, nisi toleraretur lenitate diuina. Alia est igitur hęc Pharaonis induratio præter illam generalem tolerantiam lenitatis diuinę.

Hoc potius agit Moses, ut non adeo prædicet maliciam Pharaonis, quā ueritatem & misericordiam Dei, ne scilicet filij Israel diffidant promissionibus Dei, ubi se liberaturum eos promisit, Ea res cum esset maxima, prædicat illis difficultatem, ne labascant fide, scientes hęc omnia prædicta & disponente ipso, qui promisit, sic gerenda, ac si diceret, Libero uos quidem, sed hoc difficulter credetis, adeo resistit & differt rem Pharao, sed confidite nihilominus, Hoc totum quoq; quod ille differt, me operante fiet, ut eo plura & maiora faciam miracula, ad confirmandos uos in fide, & ad ostendendam potentiam meam, ut deim-



cepts eo magis mihi in alijs omnibus credatis. Sic et  
 Christus facit, cum suis discipulis regnum promittit in  
 cena nouissima, difficultates plurimas praedicit, suam  
 ipsius mortem, et ipsorum multas tribulationes, ut  
 cum factum esset, crederent deinceps multo magis.  
 Nec Moses obscure hunc sensum nobis exhibet ubi  
 dicit, Pharaeo autem non dimittet uos, ut multa signa  
 fiant in Aegypto, Et iterum, in hoc ipsum excitauit te,  
 ut ostendam potentiam meam in te, et enarretur no-  
 men meum in uniuersa terra. Vides hic ideo Pharaeo-  
 nem indurari, ut resistat Deo et differat redemptio-  
 nem, quo fiat occasio multis signis et declaranda  
 potentia Dei, ad enarrandum et credendum ei in om-  
 ni terra. Quid hoc est aliud, quam haec omnia dici et  
 fieri, ad confirmandam fidem et ad consolandos in-  
 firmos, ut Deo deinceps, tanquam ueraci, fideli, pos-  
 tenti et misericordi libenter credant? uelut si paru-  
 uulis blandissime loquatur, Ne terreamini duritia Pha-  
 raonis, nam et illam ipsam ego operor, et in manu  
 mea habeo, qui libero uos, tantum illa utar, ad multa  
 signa facienda et ad declarandam maiestatem meam,  
 pro fide uestra.

Hinc illud est, quod fere post singulas plagas re-  
 petit Moses, Et induratum est cor Pharaonis, ut non  
 dimitteret populum, sicut locutus fuerat Dominus,  
 Quid est hoc, Sicut locutus erat Dominus, nisi ut ue-  
 rax appareret Dominus, qui illum indurandum pre-  
 dixerat?



dixerat? Si hic ulla erat uertibilitas aut libertas ar-  
 bitrij in Pharaone, quæ in utrunq; potuisset, non pos-  
 tuisset Deus tam certo prædicere eius indurationem.  
 Nunc cum promittat is, qui nec falli nec mentiri po-  
 test, necessario & certissime futurum erat, ut indura-  
 retur, Quod non fieret, nisi induratio prorsus esset  
 extra uires hominis, & in solius Dei potestate, mo-  
 do, quo diximus supra, uidelicet, quod Deus certus  
 erat, sese operationem omnipotentia generalem non  
 omitturum in Pharaone aut propter Pharaonem, cum  
 nec possit eam omittre. Deinde eque certus erat,  
 uoluntatem Pharaonis naturaliter malam & auersam,  
 non posse consentire uerbo & operi Dei contrario  
 sibi, ideo impetu uolendi in Pharaone per omnipo-  
 tentiam Dei intus seruato, & occurso uerbi & operis  
 contrarij foris obiecto, nihil aliud fieri potuit, quam  
 offensio & induratio cordis in Pharaone. Si enim  
 Deus omisisset actionem omnipotentia suæ in Phara-  
 one, tum cum ei uerbum Mosi contrarium obiecit, &  
 sola uoluntas Pharaonis sua ui egisse fingeretur, tum  
 disputandi locus forte fuisset, utro sese inclinare po-  
 tuisset. Nunc uero cum agatur & rapiatur uolendo,  
 non fit quidem uoluntati eius uis, quia non cogitur no-  
 lens, Sed naturali operatione Dei rapitur ad uolen-  
 dum naturaliter, qualis qualis est (est autem mala)  
 ideo non potest non impingere in uerbum, & sic in-  
 durari. Ita uidemus hunc locum fortiter contra libe-



arb. pugnare, eo nomine, quod Deus, qui promittit, nequeat mentiri, Si autem non mentitur, non potest Pharaon inducari.

Sed & Paulum uideamus, qui hunc locum ex Mose assumit Roma. 9. Quam misere torquetur Diatribe in eo loco, ne libere arbitrium amittat, in omnem habitum sese uersat. Nunc dicit, esse necessitatem consequentiam, sed non consequentis, Nunc ordinatam seu uoluntatem signi, cui resisti potest, Voluntatem placiti, cui resisti non potest, Nunc loci adducti ex Paulo non pugnant, non loquuntur de salute hominis, Nunc prescientia Dei necessitatem, nunc non ponit necessitatem, Nunc praeuenit gratia uoluntatem, ut uelit, conueniatur euntem, dat felicem euenum, Nunc causa primaria agit omnia, nunc agit per causas secundarias ipsa quiescit. Istis & similibus ludibrijs uerborum, nihil facit, quam quod tempus redimat & causam interim nobis ex oculis rapiat, alioque trahat, Tam stupidos & socordes nos aestimat uel tam paru affici causae, quam ipsa afficitur, Aut more infantium, qui, ubi metunt uel ludunt, oculos manibus uelant, tum a nemine uideri sese putant, quod ipsi neminem uideant, Sic per omnem modum Diatribe, radios, imò fulgura clarissimorum uerborum non ferens, fingit sese non uidere id quod res est, persuasura nobis simul, ut & ipsi oculis uelatis non uideamus. Sed haec omnia sunt signa conuicti animi & inuictae ueritati reluctantis temere. Figmentum



mentum illud de necessitate consequentiae & consequentis, superius confutatum est, Fingat, refingat, cauilletur, recauilletur Diatribe, quantum uolet, Si praesciuit Deus, Iudam fore proditorem, necessario Iudas fiebat proditor, nec erat in manu Iudae aut ullius creaturae, aliter facere aut uoluntatem mutare, licet id fecerit uolendo non coactus, sed uelle illud erat opus Dei, quod omnipotentia sua mouebat, sicut & omnia alia. Stat enim inuicta & euidens sententia, Deus non mentitur nec fallitur, Non sunt hic obscura uerba, uel ambigua, etiam si omnes omnium saeculorum uiri doctissimi caecutiant, ut aliter saperent & dicerent. Et ut multa tergiuerferis, conscientia tamen tua & omnium conuicta, cogitur sic dicere, Si Deus non fallitur in eo quod praescit, necesse est ipsum praescitum fieri, alioqui quis credere posset eius promissionibus? quis metueret eius minas? si non sequitur necessario quod promittit aut minatur? Aut quomodo promittat aut minetur, si praescientia eius fallit aut nostra mutabilitate impediri potest, Obstruit plane haec nimia certa ueritatis lux, omnium os, dirimit omnes quaestiones, uictoriam statuit aduersus omnes argutias elusorias.

Scimus sane, praescientiam hominum falli, Scimus non ideo eclipsin uenire quia praescitur, sed ideo praesciri quia uentura est. Quid nobis cum ista praescientia? De praescientia Dei disputamus, huic nisi

N 4 dederis



dederis necessarium effectum presciti, fidem & timorem Dei abstulisti, promissiones & minas diuinas omnes labefecisti, atq; adeo ipsam diuinitatem negasti. Sed & ipsamet Diatribe, cum diu esset luctata omniaq; tentasset, tandem ui ueritatis compulsata, confitetur nostram sententiam, dicens, De uoluntate ac designatione Dei difficilior est questio, Vult enim Deus eadem, quæ prescit. Et hoc est quod subiicit Paulus, Voluntati eius quis resistit, si miseretur cui uult, si inducat quem uult? Etenim si esset rex, qui quicquid uellet, efficeret, nec quisquam posset obistere, facere diceretur quicquid uellet, Ita Dei uoluntas, quoniam est causa principalis omnium, quæ fiunt, uidetur necessitatem nostræ uoluntati inducere. Hec illa. Et gratias tandem agimus Deo, pro sano sensu Diatribes. Vbi nunc igitur liberum arbitrium? Sed rursum elabitur anguilla ista subito dicens, Verum hanc questionem non explicat Paulus, sed obiurgat disputantem, O homo tu quis es, qui respondes Deo? O pulcherrimum effugium, Hoccine est diuinas literas tractare, sic propria authoritate de proprio capite, sine scripturis, sine miraculis pronunciare, imò clarissima uerba Dei deprauare? Non explicat Paulus questionem illam? Quid tum facit? Obiurgat disputantem inquit? An non est ista obiurgatio, absolutissima explicatio? Quid enim querebatur ista questione de uoluntate Dei? Nonne hoc an necessitatem imponeret nostræ uoluntati?

*Adrianus  
Grenna*



voluntati? At Paulus respondet quod sic, Cuius uult  
 miseretur (ait) quem uult indurat, Non est uolentis  
 neq; currenis, sed miserentis Dei. Nec contentus  
 explicasse, insuper illos, qui pro lib. arb. aduersus  
 hanc explicationem murmurant, & merita nulla esse  
 & non nostra culpa nos damnari ac similia, garrunt,  
 inducit, ut murmura eorum & indignationem com=  
 pescat dicens, Dicis itaq; mihi, Quid adhuc queritur?  
 Voluntati eius quis resistet? Vides prosopeiam? illi  
 audito, quod uoluntas Dei nobis necessitatem inducit,  
 blasphemantes murmurant & dicunt, Quid adhuc  
 queritur? hoc est, Cur Deus sic instat, sic urget, sic  
 exigit, sic queritur? quid accusat? quid arguit? quasi  
 nos homines posimus, si uelimus, quod exigit, Non  
 habet iustam causam querelae istius, suam uoluntatem  
 potius accuset, ibi queratur, ibi urgeat, Quis enim uo=  
 luntati eius resistet? Quis misericordiam obtineat ubi  
 noluerit? quis liquefiat, si indurare uoluerit? Non  
 est in manu nostra eius uoluntatem mutare, multo mi=  
 nus resistere, quae nos uult induratos, quae uoluntate  
 cogimur esse indurati, uelimus nolimus.

Si Paulus non explicarat hanc questionem aut non  
 certo definierat, necessitatem nobis imponi praescien=  
 tia diuina, quid opus erat, ut induceret murmurantes  
 & causantes, uoluntati eius non posse resisti? Quis  
 enim murmuraret aut indignaretur, si non sentiret  
 diffiniri necessitatem illam? Verba non sunt obscura,  
 N 5 quibus



quibus de resistendo uoluntati Dei loquitur, An ambiguum est, quid sit resistere, quid uoluntas, aut de quo loquatur, cum de Dei uoluntate loquitur? Cautare sane hic infinita milia doctorum probatissimorum & scripturis fingant dilucidas non esse, & questionem difficilem paueant. Nos habemus uerba clarissima, quae sic sonant, Cuius uult, miseretur, quem uult indurat. Item, Dicis itaq; mihi, Quid queritur? Uoluntati eius quis resistet? Nec est questio difficilis, imò nihil facilius etiam communi sensu, quam hanc sequelam esse certam, solidam, ueram, Si Deus praescit, necessario fit, ubi hoc ex scripturis praesuppositum fuerit, quod Deus neq; errat neq; fallitur. Difficilem quidem esse questionem fateor, imò impossibilem, si simul utrunq; uoles statuere & praescientiam Dei & libertatem hominis. Quid enim difficilius, imò magis impossibile, quam ut contradictoria aut contraria non pugnare contendas, aut ut simul aiquis numerus sit decem & simul idem sit nouem? Non est difficultas in nostra questione, sed quaritur & introducitur, non secus ac ambiguitas & obscuritas in scripturis queritur & uiolenter introducitur. Compeccit itaq; impios istis uerbis clarissimis offensos, quod nostra necessitate uoluntatem diuinam impleri sentirent, ac definitum certo sentirent, sibi nihil libertatis aut liberi arbitrij relictum, sed omnia in solius Dei uoluntate pendere. Compeccit autem sic, ut iubeat eos tacere,

& reue-



et reuereri maiestatem potentie et uoluntatis diuinae, in quam nos nullum ius, ipsa uero in nos habet plenum ius faciendi quicquid uoluerit. Neque fieri nobis iniuriam, cum nihil nobis debeat, nihil a nobis acceperit, nihil promiserit, nisi quantum uoluit et placuit.

Hic igitur locus, hic tempus est, non Coricos illos specus, sed ueram maiestatem in metuendis mirabilibus et iudicijs suis incomprehensibilibus adorandi et dicendi, Fiat uoluntas tua sicut in caelo et in terra. At nos nullibi sumus magis irreuerentes et temerarij, quam in illis ipsis mysterijs et iudicijs imperuestigabilibus inuadendis et arguendis, interim uero fingimus nobis incredibilem reuerentiam in scripturis sanctis scrutandis, quas Deus iussit scrutari. Non scrutamur hic, illic uero ubi scrutari prohibuit, nihil facimus, nisi quod perpetua temeritate, ne dicam blasphemia, scrutemur. An non est scrutari temere, conari, ut liberrima praescientia Dei conueniat cum nostra libertate? parati, praescientiae Dei derogare, nisi nobis libertatem permiserit, aut si necessitatem intulerit, cum murmurantibus et blasphemantibus dicere, Quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistit? Vbi Deus natura clementissimus? Vbi qui non uult mortem peccatoris? An ideo nos condidit, ut delectaretur cruciatibus hominum? et similia, quae apud infros et damnatos ululabuntur in sempiternum.

At talem



At talem oportere esse Deum uiuum & uerum, qui  
 libertate sua necessitatem imponat nobis, ipsa ratio na-  
 turalis cogitur confiteri, uidelicet, quod ridiculus ille  
 Deus fuerit, aut idolum uerius, qui incerto praeuideat  
 futura, aut fallatur euentis, cum & gentiles Dijs suis  
 fatum dederint ineluctabile. Acque ridiculus fuerit,  
 si non omnia possit & faciat aut aliquid sine ipso fiat.  
 Concessa autem praescientia & omnipotentia, sequitur  
 naturaliter irrefragabili consequentia, Nos per nos  
 ipsos non esse factos, nec uiuere, nec agere quicquam,  
 sed per illius omnipotentiam. Cum autem tales nos ille  
 ante praescierit futuros, talesq; nunc faciat, moueat  
 & gubernet, quid potest fingi quaeso, quod in nobis  
 liberum sit, aliter & aliter fieri, quam ille praescierit  
 aut nunc agat? Pugnat itaq; ex diametro praescientia  
 & omnipotentia Dei, cum nostro libero arbitrio.  
 Aut enim Deus fallatur praesciendo, errabit & agendo  
 (quod est impossibile) aut nos agemus & agemus  
 secundum ipsius praescientiam & actionem. Omni-  
 potentiam uero Dei uoco, non illam potentiam, qui  
 multa non facit, quae potest, sed actualem illam, qui  
 potenter omnia facit in omnibus, quo modo scriptura  
 uocat eum omnipotentem. Hec inquam omnipotentia  
 & praescientia Dei, funditus aboleant dogma lib. arb.  
 Nec potest hic praetexti obscuritas scripturae aut diffi-  
 cultas rei, Verba sunt clarissima etiam pueris nota,  
 Res est plana & facilis, etiam, communi sensus iudicio  
 naturali



naturali probata, ut nihil faciat quantavis series se-  
culorum, temporum, personarum, aliter scribentium  
& docentium.

Scilicet hoc offendit quam maxime sensum illum  
communem seu rationem naturalem, quod Deus mera  
voluntate sua homines deserat, induret, damnet, quasi  
delectetur peccatis & cruciatibus miserorum tamis  
& eternis, qui predicatur tantæ misericordie & bo-  
nitatis &c. Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolera-  
bile visum est de Deo sentire, quo offensi sunt etiam  
tot & tanti uiri, tot seculis. Et quis non offendere-  
tur? Ego ipse non semel offensus sum usque ad profun-  
dum & abyssum desperationis, ut optarem nunquam esse  
me creatum hominem, antequam scirem, quam salu-  
tatis illa esset desperatio & quam gratiæ propinqua.  
Ideo sic sudatum & laboratum est, pro excusanda bo-  
nitate Dei, pro accusanda uoluntate hominis, ibi re-  
pente distinctiones de uoluntate Dei ordinata & ab-  
soluta, de necessitate consequentiæ & consequentis,  
& multa similia. Sed quibus nihil est profectum, nisi  
quod rudibus impositum est, inanitate uerborum &  
oppositione falso nominata scientiæ. Mansit nihilomi-  
nus semper aculeus ille alto corde infixus, tam rudi-  
bus quam eruditis, si quando ad rem seriam uentum  
est, ut sentirent necessitatem nostram, si credatur præ-  
scientiæ & omnipotentia Dei. Atque ipsamet ratio na-  
turalis, que necessitate illa offenditur & tanta moli-  
tur ad



tur ad eam tollendam, cogitur eam concedere, proprio suo iudicio conuicta, etiam si nulla esset scriptura. Omnes enim homines inueniunt hanc sententiam in cordibus suis scriptam, & agnoscunt eam ac probant (licet inuiti) cum audiunt eam tractari. Primo Deum esse omnipotentem, non solum potentia, sed etiam actione (ut dixi) alioqui ridiculus foret Deus. Deinde ipsum omnia nosse & prescire, neque errare neque falli posse. Isthis duobus omnium corde & sensu concessis, coguntur mox inuitabili consequentia admittere, Nos non fieri nostra uoluntate, sed necessitate. Ita nos non facere quodlibet, pro iure lib. arb. sed pro ut Deus presciuit & agit consilio & uirtute infallibili & immutabili. Quare simul in omnium cordibus scriptum inuenitur, liberum arbitrium nihil esse, licet obscuretur, tot disputationibus contrariis & tanta tot uirorum authoritate, tot seculis aliter docentibus, Sicut & omnis alia lex (teste Paulo) in cordibus nostris scripta, tum agnoscitur, ubi recte tractatur, tum obscuratur, ubi impijs magistris uexatur & alijs opinionibus occupatur.

Ad Paulum redeo, qui si Roma. 9. non explicat questionem nec desinit necessitatem nostram ex prescientia & uoluntate Dei, Quid opus illi erat, inducere similitudinem figuli, qui ex uno eodemque luto aliud uas facit in honorem, aliud in ignominiam? Nec tamen figmentum dicit fictori suo, Cur me ita facis?

De hoc



De hominibus enim loquitur, quos luto comparat & Deum figulo. Friget nimirum, imò inepta est similitudo & frustra adducta, si non sentit libertatem nostram nullam esse. Quin tota disputatio Pauli frustranea est, qua tuetur gratiam. Nam hoc agit tota Epistola, ut ostendat, nos nihil posse, neque tum etiam, cum bene uidemur facere, ut ibidem dicit, quod Israel sectando iustitiam, non tamen peruenerit ad iustitiam, Gentes uero peruenerint non sectando. De quo latius agam, cum nostras copias producam. At Diatribe dissimulans totum corpus disputationis Pauline & quorsum tendat Paulus, uocabulis interim excisis & de prauatis se solatur. Nec iuuat Diatriben quicquam quod postea Paulus Roma. ii. rursus exhortatur dicens, Tu fide stas, uide ne extollaris. Item, Etiam illi si crediderint, inserentur & c. Nihil enim ibi de uiribus hominum dicit, sed uerba imperatiua & coniuuatiua profert, quibus quid efficiatur, supra satis est dictum. Atque ipsemet Paulus eodem loco praeueniens lib. xvi. iactatores, non dicit illos posse credere, sed potens est (inquit) Deus illos inserere. Breuiter adeo trepide & cunctanter incedit Diatribe in istis locis Pauli tractandis, ut uideatur in conscientia dissentire suis uerbis. Cum enim maxime illi fuisset pergendum & probandum, ferè semper sermonem abrumpit dicens, Sed de his satis. Item, Nunc illud non excutiam. Item, non est huius instituti. Item, illi sic dicerent, Et multa



Et multa similia, relinquitq; rem in medio, ut nescias an dicere pro libero arbitrio, uel eludere tantum in anibus uerbis Paulum uideri uoluerit, idq; iure & more suo, ut cui non est res seria in hac causa. Nos autem non oportet ita fringere, super aristas incedere, aut uenis uelut arundo moueri, sed certo, constanter & ardentem asserere, tum solide & dextre ac copiose demonstrare quod docemus.

Iam uero quam pulchre libertatem simul cum necessitate conseruat dicens, Nec omnis necessitas excludit liberam uoluntatem, Quemadmodum Deus pater gignit necessario filium, & tamen uolens ac liberare gignit, quia non coactus. Obsecro, an disputamus nunc de coactione & ui? Nonne de necessitate immutabilitatis nos loqui, tot libellis testati sumus? Scimus, quod pater uolens gignit, quod Iudas uolendo prodidit Christum, sed hoc uelle in ipso Iuda certo & infallibiliter futurum fuisse dicimus, si Deus presciuit. Aut si nondum intelliguntur quae dico, aliam necessitatem uiolentam ad opus, aliam necessitatem infallibilem ad tempus referamus, de posteriore nos loqui intelligat, qui nos audit, non de priore, hoc est, non disputamus, an Iudas inuitus aut uolens proditor sit factus, sed an tempore praedefinito a Deo infallibiliter fieri oportuerit, ut Iudas uolendo proderet Christum. Sed uide quid hic dicat Diatribe, Si spesctes Dei prescientiam infallibilem, necessario Iudas erat proditorus.



diturus, Et tamen Iudas poterat mutare uoluntatem suam. intelligis etiam mi Diatribe, quid loquaris? Ut omittam illud, quod uoluntas non potest nisi malum uelle, ut supra est probatum. Quomodo potuit Iudas mutare uoluntatem suam, stante infallibili præscientia Dei? an potuit præscientiam Dei mutare & fallibilem facere? Hic succumbit Diatribe & relictis signis & proiectis armis cedit loco, reijciens disputationem ad scholasticas subtilitates de necessitate consequentiæ & consequentis, ut quæ nolit istas argutias persequi. Prudenter certe, cum causam perduxeris in medias turbas, & iam maxime sit opus disputatore, tum terga uertas, & alijs relinquantur negocium respondendi & desiniendi. Hoc consilio oportuit uti ab initio, & a scribendo in totum abstinere, iuxta illud, Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. Non enim ab Erasmo expectabatur, ut difficultatem illam moueret, quomodo Deus certo præsciret & tamen contingenter nostra fierent. Erat hæc difficultas longe ante Diatriben in mundo. Sed expectabatur, ut responderet ac diffiniret. Ipse uero Rhetorica transi-  
 one usus, nos ignaros Rhetoricæ, secum trahit, ac si hic de re nihili agatur, sintq; mera argutiæ quedam, fortiter se proripit e medijs turbis, hedera coronatus & lauro. Verum non sic frater, Nulla est Rhetorica tanta, quæ ludat ueram conscientiam, fortior est acule-  
ni conscientia omnibus uiribus & figuris eloquentia.

○ Nos hic



Nos hic non patiemur Rhetorem transire & dissona-  
lare, non est nunc locus huic schemati. Rerum cardo  
& causse caput hic petitur. Et hic uel liberum arbi-  
trium extinguitur, uel in totum triumphabit. Tu ue-  
ro cum sentias periculum, imò certam uictoriam con-  
tra liberum arbitrium, simulas te nihil sentire nisi ar-  
gutias. Hoccine est fidelem Theologum agere? Tene  
caussa serio afficiat? qui sic relinquant & auditores  
suspensos, & disputationem perturbatam & exaspera-  
ratam, nihilominus tamen uelis honeste satisfacisse &  
palmam retulisse uideri. Ista uafricia & uersutia in  
causis prophanis tolerari ualeat, in re Theologica,  
ubi simplex & aperta ueritas queritur pro salute  
animarum odio dignissima & intolerabilis est.

Senserunt & Sophiste uim inuictam & insusten-  
tabilem huius argumenti, ideo finxerunt necessitatem  
consequentie & consequentis. Sed quam nihil hoc  
figmentum efficiat, supra docuimus. Etenim & ipsi  
non obseruant, quid dicant & quantum admittant  
contra sese. Si enim necessitatem consequentie con-  
cesseris, uictum ac prostratum est liberum arbitrium,  
nec quicquam iuuat uel necessitas uel contingentia con-  
sequentis, Quid ad me? si liberum arbitrium non co-  
gatur, sed uolenter faciat, quod facit. Sufficit mihi,  
quod cōcedis, necessario fore, ut uolenter faciat quod  
facit, nec aliter habere se queat, si Deus ita præscierit.  
Si Deus præscit Iudam proditurum aut mutaturum  
esse non



esse uoluntate prodendi, utrum præscierit, necessario  
 ueniet, aut Deus fallatur præsciendo & prædicendo,  
 quod est impossibile. Hoc enim efficit necessitas con=  
 sequentiæ, id est, si Deus præscit, ipsum necessario  
 fit. Hoc est, liberum arbitrium nihil est. Ista neces=  
 sitas consequentiæ non est obscura nec ambigua, ut si  
 etiam cæcutiant omnium sæculorum doctores, cogan=  
 tur tamen eam admittere, cum sit ita manifesta &  
 certa, ut palpari possit. Necessitas uero consequen=  
 tis, qua illi se solantur, merum phantasma est, & ex  
 diametro pugnat cum necessitate consequentiæ. Ex=  
 emplum gratia, Necessitas consequentiæ est, si dixe=  
 ro, Deus præscit Iudam fore proditorem, ergo certo  
 & infallibiliter fiet, ut Iudas proditor sit. Aduer=  
 sus hanc necessitatem & consequentiam, tu sic so=  
 laris, Sed quia Iudas potest mutare uoluntatem pro=  
 dendi, ideo non est necessitas consequentis. Rogo te,  
 quomodo conueniunt illa duo, Iudas potest nõ prode=  
 re uelle, Et necesse est ut Iudas prodere uelit? Nonne  
 directe contradicunt & pugnant? Non cogetur (in=  
 quis) prodere inuitus. Quid hoc ad rem? Tu dix=  
 isti, de necessitate consequentis, illam scilicet, non  
 induci necessitate consequentiæ, nihil de coactione  
 consequentis dixisti. Responsio fuit de necessitate con=  
 sequentis, & tu exemplum profers de coactione  
 consequentis, aliud quero & aliud tu reddis. Hoc fa=  
 cit oscitantia illa, qua non obseruatur, quam nihil effi=  
 ciat illud

O z ciat illud



ciat illud commentum de necessitate consequentis.

Hec de primo loco, qui fuit de induratione Pharaonis, qui tamen omnes locos & multas copias inuoluit, easq; inuictas. Nunc alterum uideamus de Iacob & Esau, de quibus necdum natis dictum est, Maior seruiet minori. Hunc locum sic eludit Diatribe, quod proprie non pertinet ad salutem hominis, potest enim Deus uelle, ut homo seruus sit & pauper, uelit, nolit, nec tamen reijciatur ab aeterna salute. Vide quaso, quot diuerticula & effugia querat, lubricus animus & qui ueritatem fugit, Nec tamen effugit, Effugiat sane, locus ille non pertineat ad salutem hominis, de quo infra, nunquid ideo nihil efficit Paulus qui illum adducit? Ridiculum ne aut ineptum faciemus Paulum in disputatione tam seria? Verum illud Hieronymi amicum est, qui non uno loco audet superciliose satis, sed simul ore sacrilego dicere, Ea pugnare apud Paulum, quae locis suis non pugnant, hoc est tantum dicere, Paulus cum fundamenta dogmatis Christiani iacit, nihil facit, nisi quod deprauat scripturas diuinas & laedit animas fidelium, sententia suo cerebro efficta & scripturis uiolenter intrusa, Sic honorari debet spiritus in sancto illo & electo organo Dei Paulo. Atque ubi Hieronymus cum iudicio legi debeat, & hoc dictum eius inter ea numerari, quae multa uir ille (ea fuit) oscitantia & hebetudo eius in scripturis intelligentis) impie scribit, Diatribe ipsum sine iudicio arripit, nec

*Inuoluitur  
Hieronymus*

glosa fa  
ssimo  
perat.  
saris di  
illam  
caecuti  
An  
locis si  
tur sol  
neq; P  
uocab  
tur. V  
tempo  
tamen  
ipsum  
PER  
ior se  
merit  
dicitu  
eo pe  
autem  
dum  
Atq;  
agitur  
gia R  
de me  
tract

glosa



glosa saltem aliqua dignatur mitigare, sed uelut certissimo oraculo, scripturas diuinas & iudicat & temperat. Sic impia hominum dicta, pro regulis & mensuris diuinae scripturae accipimus. Et adhuc miramur, illam fieri ambiguam & obscuram, patresq; tot in illa cecutire, cum hac ratione, impia & sacrilega fiat.

Anathema sit igitur, qui dixerit, ea non pugnare locis suis, quae apud Paulum pugnant, Hoc enim dicitur solum, sed non probatur, Dicitur uero ab ijs, qui neq; Paulum nec locos ab eo citatos intelligunt, sed uocabulis acceptis, suo, id est, impio sensu, falluntur. Ut enim maxime hic locus Gene. 25. de seruitute temporali sola intelligeretur (quod non est uerum) tamen a Paulo recte & efficaciter adducitur, dum per ipsum probat, non per merita Iacob aut Esau, Sed PER VOCANTEM dictum esse ad Saram, Maior seruiet minori. Paulus disputat, an illi uirtute aut meritis liberi arbitrij peruenerint ad id, quod de eis dicitur, probatq; quod non, sed sola uocantis gratia eo peruenerit Iacob, quo non peruenit Esau. Probat autem id inuidiis uerbis scripturae, scilicet quod nondum nati, item, nihil boni aut mali operati fuerint. Atq; in hac probatione situm est pondus rerum, hoc agit in ista caussa. Diatribe uero istis omnibus egregia Rhetorica transitis & dissimulatis, disputat nihil de meritis, quod tamen suscepit ut faceret, quod & tractatio Pauli exigit, sed de seruitute temporali ca-

o 3 uillatur,



uillatur, quasi hoc aliquid ad rem pertineat, tantum  
 ne uideatur uicta potentissimis Pauli uerbis. Quid  
 enim haberet, quod ogganniret contra Paulum pro  
 lib. arbitrio? Quid lib. arb. iuuit Iacob? Quid ob-  
 fuit Esau? cum iam praescientia & destinatione Dei,  
 uterq; nondum natus, nihilq; operatus, definitus esset,  
 qualia esset recepturus, scilicet, ut ille seruiret, hic  
 dominaretur, Praemia decernuntur, antequam opera-  
 rij nascantur & operentur. Hic debuit respondere  
 Diatribe, Hoc urget Paulus, quod nihil boni, nihil mali  
 adhuc fecerint, & tamē sententia diuina alter dominus,  
 alter seruus decernitur. Non hoc queritur, an seruitus  
 illa pertineat ad salutem, sed quo merito illa imponatur  
 ei, qui non meruerat? Sed molestissimū est cum prauis  
 istis studijs torquenda et eludēda scripturae cōsuetudo.  
 Deinde quod non de seruitute illorū sola agat Mo-  
 ses, & etiam in hoc recte faciat Paulus, quod de salute  
 eterna intelligat (quanquam hoc non ita faciat ad rem,  
 tamen non patiar Paulum calumnijs sacrilegorum con-  
 taminari) conuincitur ex ipso textu, Sic enim habet  
 oraculum in Mose, Duo populi ex utero tuo diuiden-  
 tur, populusq; populum superabit & maior seruiet  
 minori. Hic manifeste duo populi discernuntur, Alter  
 in gratiam Dei recipitur, licet minor, ut uincat ma-  
 iorem, non quidem uiribus, sed fauente Deo. Alioqui,  
 quomodo uincat minor maiorem, nisi Deus sit cum eo?  
 Cum igitur minor sit futurus populus Dei, non sola ibi  
 dominatio



dominatio externa tractatur aut seruitus, sed omnia que pertinent ad populum Dei, id est, benedictio, uerbum, spiritus, promissio Christi, & regnum æternum, id quod etiam latius postea scriptura confirmat, ubi iacob benedicti & promissiones & regnum accipere describit. Quæ omnia Paulus breuiter indicat, dum dicit, maiorem seruiturum esse minori, nos ad Moysen remittens latius hæc tractantem, ut possis contra Hieronymi & Diatribes sacrilegam sententiam dicere, fortius ea pugnare locis suis, quàm apud Paulum, quæcunq; adducit, id quod non solum de Paulo uerum est, sed de omnibus Apostolis, qui scripturas adducunt, tanquam testes & assertrices sui sermonis. Ridiculum uero esset, id pro testimonio adducere, quod nihil testetur neq; faciat ad rem. Si enim inter Philosophos ridiculi sum, qui ignotum per ignotius aut per impertinens probant, qua fronte nos hoc tribuimus summis ducibus & authoribus Christianæ doctrine, in qua pendet animarum salus? præsertim ubi ea docent, quæ sunt capita fidei. Sed ista decet eos, qui scripturis diuinis serio non afficiuntur.

Illud uero Malachie, quod Paulus attextit, iacob dilexi Esau autem odio habui, triplici industria torquet. Prima est, Si litteram urgeas (inquit) Deus non amat, quemadmodum nos amamus, nec odit quenquam, cum in Deum non cadant affectus huiusmodi. Quid audio? An nunc queritur, quomodo

O 4 Deus amet



Deus amet & odiat, ac non potius, Cur amet & odiat? Quo merito nostro amet aut odiat, queritur, Pater scimus, quod Deus non amat aut odit, quemadmodum nos, siquidem nos mutabiliter & amamus & odimus, ille eterna & immutabili natura amat & odit, sic non cadunt in illum accidentia & affectus. Atque hoc ipsum est, quod liberum arbitrium cogit nihil esse, quod eternus & immutabilis sit amor, eternum odium Dei erga homines, antequam mundus fieret, non solum ante meritum & opus lib. arbitrij, omniaque necessario in nobis fieri, secundum quod ille uel amat uel non amat ab eterno, Ut non solum amor Dei, sed etiam modus amandi, necessitatem nobis inferat, ut uideas, quam prosint Diatribe sua effugia, ut ubique magis impingat, quo magis euadere nititur, adeo non succedit ueritati reluctari. Sed esto, Valeat tibi trophaeus, ut amor Dei sit effectus amoris, & odium Dei sit effectus odij, Nunquid illi effectus citra & prae uoluntatem Dei sunt? An hic etiam dices, Deum non uelle quemadmodum nos, nec affectum uolendi in illum cadere? Si sunt igitur effectus illi, non nisi uolente Deo sunt. Iam quod uult Deus, hoc aut amat aut odit. Responde igitur, quo merito amatur Iacob & oditur Esau antequam nascuntur & operantur? Stat igitur Paulus optime Malachiam inducens pro sententia Mosi, Scilicet quod ideo uocari Iacob antequam nasceretur, quia dilexerit eum, non autem dilectus sit

prius



prius à Jacob, aut merito eius ullo permotus, ut ostenderetur in Jacob & Esau, quid nostrum queat liberum arbitrium.

Altera industria est, quod Malachias non uidetur loqui de odio, quo damnatur in æternum, sed de temporaria afflictione, Reprehenduntur enim, qui destruere uolebant Edomæam. Hoc iterum dicitur ad contumeliam Pauli, quasi uim fecerit scripturis. Adeo nihil ueremur maiestatem spiritus sancti, modo nostra statuamus. Sed feremus interim contumeliam hanc, uideamusq; quid efficiat. Malachias de afflictione temporali loquitur. Quid inde? aut quid hoc ad rem? Paulus ex Malachia probat illam afflictionem sine merito, soloq; odio Dei illatam Esau, ut lib. arbitrium nihil esse concludat. Hic urgeris, hic responderi oportuit. Nos de merito disputamus, tu de mercede loqueris, & sic loqueris, ut non eludas tamen quod uoluisti, imò cum de mercede loquaris, meritum confiteris. At illud dissimulas te uidere. Dic igitur, quæ fuit causa, amandi Jacob & odio habendi Esau apud Deum, cum illi nondum essent? Iam & illud falsum est, quod Malachias solum de temporaria afflictione loquatur, nec illi res est de Edomæa destruenda, totumq; Prophetæ sensum peruertis hac industria. Prophetæ clarissimis uerbis satis indicat quid uelit, Nempe, Israelitis exprobrat ingratitude, quod cum eos dilexerit, illi uicissim neq; diligant, ut patrem,

O S neq; timea



neq; timeant, ut dominum. Dilexisse autem se probat, tam scriptura quam opere, Nempe, quod cum Iacob & Esau essent fratres, ut Moses scribit Gene. 25. Iacob tamen dilexerit & elegerit antequam nasceretur, sicut dictum est paulo ante, Esau uero sic oderit, ut regionem eius redegerit in solitudinem. Deinde ea pertinacia odiat & pergat, ut cum Iacob reduxerit de captiuitate & restituerit, Edomæos tamen non sinat restitui, sed etiam si dixerint sese uelle edificare, ipse minetur eis destructionem. Si non hæc habet textus ipse apertus Propheta, arguat me mendacij totus orbis. Non igitur reprehenditur hic temeritas Edomæorum, sed (ut dixi) ingrattudo filiorum Iacob, qui non uident, quid illis conferat, & fratribus suis Edomæis auferat, nulla causa, nisi quia hic odit, illic amat. Quomodo nunc stabit, quod Propheta de temporaria afflictione loquatur? cum euidentibus uerbis testatur, sese loqui de duobus populis, à duobus Patriarchis natis, illum susceptum in populum & seruatum, hunc uero relictum & tandem destructum. Suscipere uero in populum, & non suscipere in populum, non pertinet ad temporalia bona uel mala tantum, sed ad omnia. Neq; enim Deus noster tantum temporalium Deus est, sed omnium. Neq; tibi Deus esse aut coli uolet dimidio humero aut claudicâte pede, sed totis uiribus, totoq; corde, ut tibi sit Deus tã hic q̃ in futuro, & in omnibus rebus, casibus, temporibus & operibus.

Tertiã in-



*Tertia industria est, Quod tropologico sensu, nec omnes gentes diligit, nec omnes Iudeos edit, Sed ex utraq; gente aliquos. Hac tropologia efficitur, ut testimonium hoc ( ait ) nihil pugnet ad probandam necessitatem, sed ad arrogantiam Iudeorum retundendam. Hac uia facta, euadit deinde illuc Diatribe, ut nondum natos odisse Deus dicatur, quia prescit illos gesturos odio digna, sic odium Dei & amor nihil officit libertati arbitrij. Tandem concludit, Iudeos merito incredulitatis excisos de olea, Gentes merito fidei insertas, idq; authore Paulo, spemq; facit excisis rursus inserendi, & insitis metum, ne excidantur. Moriar, si Diatribe ipsa intelligit quid loquatur, Sed est forte & hic Rethoricum schema, quod docet, sensum obscurare, si qua periculum instat, ne capiaris uerbo. Nos tropologias hoc loco nullas uidemus, quas Diatribe sibi somniat nec probat, ideo nihil mirum, si illi non pugnet testimonium Malachie in sensu tropologico, qui ipse nullus est. Deinde nos non de excisione & insertione disputamus, de quibus Paulus loquitur dum exhortatur. Scimus fide inseri, infidelitate excindi homines, eosq; exhortandos esse ut credant, ne excidantur. Sed hinc non sequitur, neq; probatur, eos posse credere aut discredere ui liberi arbitrij, de quo nos agimus. Non disputamus, qui sunt credentes, qui non, qui Iudei, qui gentes, quid sequatur credentes & discredentes, hoc ad exhortatorem pertinet,*



perinet, Sed hoc disputamus, quo merito, quo opere perueniant ad fidem, qua inseruntur, aut ad infidelitatem, qua exciduntur, hoc ad doctorem pertinet. Hoc meritum nobis describe. Paulus docet, quod nullo nostro opere, sed solo amore & odio Dei contingat. Vbi uero contigerit, exhortatur, ut perseuerent, ne excendantur. At exhortatio non probat, quid nos possimus, sed quid debeamus. Cogor ego penè pluribus uerbis aduersarium tenere, ne alio uagetur deferta causa, quam ipsam causam tractare, quanquam tenuisse eum in proposito, uicisse est, tam clara & inuicta sunt uerba, ideoq; nihil ferè agit, quam ut ea declinet, & sese è conspectu proripiat, aliudq; agat, quam instituerat.

Tertium locum sumit ex Esaia. 45. Nunquid lutum dicit figulo suo, quid facis? Et Hierem. 18. Sicut lutum in manu figuli, ita uos in manu mea. Iterum hæc magis pugnare dicit apud Paulum, quam apud Prophetas unde sumpta sunt, quia in Prophetis sonant de afflictione temporali, Paulus autem utitur ad electionem & reprobationem æternam, ut sugillet Pauli temeritatem uel inscitiam. Sed antequam uideamus, quomodo probet, utrunq; non excludere lib. arbitrium, prius hoc dicam, Non uideri Paulum ex Prophetis sumpsisse hunc locum nec Diatribe id probat, Solet enim Paulus adhibere nomen authoris uel protestari sese de scripturis aliquid accipere, quorum hic neutrum fuerit.



eit. Ideo uerius est, quod Paulus hac generali similitu-  
 dine, quam alij ad alias causas assumunt, ipse proprio  
 spiritu utatur ad suam causam, quemadmodum facit  
 illa similitudine, modicum fermentum totam massam  
 corrumpit, quam .i. Corin. 5. corruptilibus moribus  
 aptat, alias uerbum Dei corrumpentibus obijcit, quo-  
 modo & Christus fermentum Herodis appellat &  
 Phariseorum. Vt igitur Prophetæ maxime de tempo-  
 rali afflictione loquantur, de quo nunc omitto dicere,  
 ne toties alienis questionibus occuper & differar,  
 Paulus tamen utitur suo spiritu aduersus liberum arbi-  
 trium. Quod uero non adimitur libertas arbitrij, si  
 Deo affligenti sumus lutum, nescio quo pertineat, aut  
 cur id contendat Diatribe, cum non sit dubium, afflic-  
 tiones à Deo uenire inuitis nobis, necessitatemq; affe-  
 rane ferendi eas, uelinus, nolinus, nec est in manu  
 nostra eas auertere, licet exhortemur ad ferendas uo-  
 luntarie.

Sed quomodo Pauli sermo non excludat liberum  
 arbitrium ista similitudine, dignum est audire Diatri-  
 ben arguantem. Duo enim absurda opponit, alterum  
 è scripturis, alterum ex ratione colligit. E scripturis  
 sic colligit, Paulus cum .z. Thimo. 2. dixisset, in magna  
 domo esse uasa aurea, argentea, lignea, fictilia, quædam  
 in honorem, quædam in contumeliam, mox subiungit,  
 Siquis ergo se emundauerit ab istis, erit uas in hono-  
 rem &c. Tum sic arguit Diatribe, Quid stultius,  
 quam si



quàm si quis dicat matula sania, si te expurgaris, erit uas honorificum? Verum hoc recte dicitur teste rationandi, quæ monita potest se accomodare ad uoluntatem Domini. Ex ijs uult, similitudinem non per omnia quadrare atq; sic elusam, ut nihil efficiat. Respondet deo, ne illud cauiller, quod Paulus non dicit, Si quis se mundauerit à sordibus suis, sed ab istis, id est, à uasis contumeliæ, ut sensus sit, si quis separatus manserit, ac non inter impios magistros misceatur, erit uas honoris &c. Donemus quoq; hunc locum Pauli prorsus facere, quod uult Diatribe, id est, similitudinem non esse efficacem, quomodo probabit idem uelle Paulum loco illo ad Roma. 9. de quo disputamus? An satis est alium locum citare, & nihil prorsus curare, an idem uel diuersum efficiat? Non est facilior & uulgatior lapsus in scripturis, quàm diuersos locos uelut similes & scripturis coaptare, ut sepius monstraui, ut similitudo locorum magis inefficax sit, de quo Diatribe superbit, quàm nostra, quàm confutat. Sed ne contenti osi simus, donemus utrunq; locum Pauli idem uelle, & quod sine controuersia uerum est, similitudinem non semper & per omnia quadrare, alioqui non similitudo neq; translatio, sed ipsa res esset, iuxta pro uerbum, Similitudo claudicat, nec semper currit quattuor pedibus.

In hoc tamen errat & peccat Diatribe, quod neglecta causa similitudinis, quæ maxime spectanda est, uocabula

uocabula  
intelligi  
lis solis,  
multitudi  
Paulus  
tra can  
hortatio  
dauert.  
na dome  
uerboru  
ere de  
cum tan  
nobis,  
firmum  
nus qui  
inuoat  
similitu  
sequitur  
honore  
trina,  
Hoc u  
&c. S  
bertas  
tur exh  
que q  
Non e  
hmo sig



uocabula contentiose captat. Ex causis enim dicendi  
 intelligentia petenda est, ait Hilarius, non ex uocabu-  
 lis solis, ita similitudinis efficacia pendet ex causa si-  
 militudinis, Cur ergo Diatribe omittit id, gratia cuius  
 Paulus similitudine ista utitur, & captat id, quod ex-  
 tra causam similitudinis dicit? Nempe, hoc ad ex-  
 hortationem pertinet, quod dicit, Siquis sese emun-  
 dauerit, Illud uero ad doctrinam, quod dicit, In mag-  
 na domo sunt uasa &c. ut ex omnibus circumstantijs  
 uerborum & sententiæ Pauli, intelligas eum statu-  
 ere de diuersitate & usu uasorum, ut sit sensus,  
 cum tam multi à fide discedant, nullum est solatium  
 nobis, nisi quod certi sumus, fundamentum Dei  
 firmum stare, habens signaculum hoc, Nouit Domi-  
 nus qui sunt eius, & discedit ab iniquitate omnis qui  
 inuocat nomen Domini. Haftenus causa & efficacia  
 similitudinis, scilicet, quod Dominus norit suos, Tum  
 sequitur similitudo, scilicet, esse uasa diuersa, alia in  
 honorem, alia in contumeliam. His absoluitur doc-  
 trina, quod uasa non seipsa parent, sed herus,  
 Hoc uult & Roma. 9. quod figulus potestatem habet  
 &c. Sic stat similitudo Pauli efficacissima, quod li-  
 bertas arbitrij nihil sit coram Deo. Post hæc sequi-  
 tur exhortatio, Si quis sese mundauerit ab istis &c.  
 que quid ualeat, ex supradiçtis satis notum est.  
 Non enim sequitur, ideo sese posse emundare,  
 sed siquid probatur, probatur, liberum arbitrium  
 sese posse



fese posse absq; gratia emundare, cum non dicat, si quem gratia emundarit, sed si sese emundarit. De uerbis autem imperatiuis & coniuuctiuis abunde dictum est. Nec similitudo uerbis coniuuctiuis, sed indicatiuis profertur, ut electi & reprobi sunt, ita uasa honoris & ignominie sunt. Summa, si ista elusio ualet, nota disputatio Pauli nihil ualet, frustra enim induceret murmurantes aduersus figulum Deum, si culpa uasis & non figuli esse uideretur, Quis enim murmuret, si audiatur damnari dignum damnatione?

Alterum absurdum colligit à Domina ratione, qua dicitur humana, uidelicet, quod non uasi, sed figulo sit imputandum, praesertim cum talis figulus sit, qui creet ipsum lutum & temperet. Hic (ait Diatribe) non conijcitur in ignem aeternum, quod nihil commertur, nisi quod non sui iuris est. Nusquam se apertius proli Diatribe, quam hoc loco. Audis enim hic, alijs quod eodem uerbis, sed eodem sensu dici, quod Paulus dicitur facit impios, Quid queritur? Voluntati eius quis resistet? Hoc est illud, quod ratio neq; capere neq; ferre potest, hoc offendit tot uiros excellentes ingenio, tot saeculis receptos. Hic exostulant, ut Deus agat iure humano, & faciat quod ipsis rectum uidetur, ut Deus esse desinat, Nihil illi profuerint secreta maiestatis, rationem reddat, quare sit Deus, aut quare uelit aut faciat, quod nullam speciem iustitiae habeat, ac si Surorem aut Zonarium roges iudicio se sistere. Non dignatur



dignatur Deum caro gloria tanta, ut credat iustum  
 esse & bonum, dum supra & ultra dicit & facit,  
 quam definiuit Codex Iustiniani, uel quintus liber  
 Ethicorum Aristotelis, Cedat maiestas Creatrix om-  
 nium feci uni creaturae suae, & Coricius ille specus  
 metuat, uersa uice, spectatores suos. Igitur absurdum  
 est, ut damnet eum, qui uitare non potest meritum  
 damnationis, Et propter hanc absurditatem, falsum esse  
 oportet, quod Deus, cuius uult, miseretur, quem uult  
 indurat, sed redigendus est in ordinem, & prescri-  
 bende illi leges, ut non damnet quenquam, nisi qui no-  
 stro iudicio id meruerit. Sic est satisfactum Paulo cum  
 sua similitudine, scilicet, ut illam reuocet & sinat ni-  
 hil ualere, sed sic temperet, quod figulus hic (ut Dia-  
 tribe interpretatur) facit uas in contumeliam, ex me-  
 ritis precedentibus, sicut Iudaeos quosdam reijcit ob  
 incredulitatem, gentes suscipit ob fidem. Verum si sic  
 operatur Deus, ut merita spectet, Cur illi murmurant  
 & expostulant? Cur dicunt, quid queritur? quis uo-  
 luntati eius resistit? Quid opus Paulo compescere  
 illos? Quis enim miratur, non dicam, indignatur aut  
 expostulat, si quis meritis damnatur? Deinde ubi ma-  
 net potestas figuli faciendi quod uult, si meritis & le-  
 gibus subiectus, non sinitur facere quod uult, sed ex-  
 igitur facere quod debet, Pugnatur enim respectus me-  
 ritorum, cum potestate ac libertate faciendi quod uult,  
 ut ille probat pater familias, qui operarijs murmurantibus &

P

tibus &amp;



tibus & ius postulantis, opposuit libertatem uoluntatis in suis bonis. Hæc sunt, quæ Diatribes glosam non sinunt ualere.

Sed fingamus quæso, Deum talem esse oportere, qui merita respiciat in damnandis, nonne pariter contendemus & concedemus, ut & in saluandis merita spectet? Si rationem sequi uolumus, æque iniquum est, indignos coronari, atq; indignos puniri. Concludamus itaq; Deū ex meritis precedentibus iustificare debere aut iniquū declarabimus, ut qui malis & impijs hominibus deletetur, & impietatem eorum premijs inuitet & coronet. At uæ nobis tunc miseris, apud illum Deum, Quis enim saluus erit? Vide igitur nequitiam cordis humani, Deum cum indignos sine meritis saluat, imò cum multis demeritis iustificat impios, non accusat iniquitatis, ibi non exposulat, cur hoc uelit, eum sit iniquissimum, sese iudice, sed quia sibi commodum & plausibile est, æquum & bonum iudicat. At cum immeritos damnat, quia incommodum sibi est, hoc iniquum, hoc intolerabile est, hic exposulatur, hic murmuratur, hic blasphematur. Vides ergo Diatriben cum suis in hac causa, non iudicare secundum æquitatem, sed secundum affectum comodi sui. Si enim æquitatem spectaret, æque exposularet cum Deo, dum indignos coronat, atq; exposulat cum eo, dum immeritos damnat, Aequè etiam laudaret & predicaret Deum, dum damnat immeritos, atq; facit,



atq; facit, dum indignos saluat, utrobique enim par  
 iniquitas, si sensum nostrum spectes, nisi non fuerit  
 aequum, si Cain ob homicidium laudes regemq;  
 facias, atq; si Habel innocentem in carcerem conijcias  
 aut occidas. Cum igitur Ratio Deum laudet indignos  
 saluantem, arguat uero immeritos damnantem, conuin-  
 citur, non laudare Deum, ut Deum, sed ut suo comodo  
 seruientem, hoc est, seipsam & que sua sunt in Deo  
 querit & laudat, non Deum aut que Dei sunt. At si  
 placet tibi Deus indignos coronans, non debet etiam  
 displicere immeritos damnans, Si illic iustus est, cur  
 non hic iustus erit? Illic gratiam & misericordiam  
 spargit in indignos, Hic iram & seueritatem spargit  
 in immeritos, utrobique nimius & iniquus apud homi-  
 nes, Sed iustus & uerax apud seipsum. Nam quomo-  
 do hoc iustum sit, ut indignos coronet, incomprehen-  
 sibile est modo, uidebimus autem, cum illuc ueneri-  
 mus, ubi iam non credetur, sed reuelata facie uidebi-  
 tur. Ita quomodo hoc iustum sit, ut immeritos damnet,  
 incomprehensibile est modo, creditur tamen, donec  
 reuelabitur filius hominis.

Diatribe uero similitudine illa figuli & luti uehe-  
 menter offensa, non nihil indignatur, sese adeo urgeri  
 per illam, tandem eò redit, ut diuersis locis e scriptu-  
 ra productis, quorum aliqui totum homini uiden-  
 tur tribuere, aliqui totum gratie, stomachabun-  
 da contendat, utrosq; debere interpretatione sana  
 R z intelligi



intelligi & non simpliciter accipi, Alio qui si nos ur-  
 geamus similitudinem illam, ipsa rursus nos urgere pa-  
 rata est locis illis imperatiuis & coniunctiuis, preser-  
 tim illo Pauli, Si quis sese emundauerit ab istis, Hic  
 Paulum sibi contradicentem facit, & omnia tribuen-  
 tem homini, nisi succurrat interpretatio sana. Si igitur  
 hic interpretatio admittitur, ut gratiæ locus re-  
 linquatur, cur non etiam similitudo figuli admittat  
 interpretationem, ut libero arbitrio locus sit? Res-  
 pondeo, meanihil refert, accipias simpliciter, dup-  
 pliciter uel centupliciter. Hoc dico, quod hac sana  
 interpretatione nihil efficitur, nec probatur quod  
 queritur. Probari enim debet, liberum arbitrium  
 nihil posse uelle boni. At illo loco, Siquis sese  
 emundauerit ab istis, cum sit oratio coniunctiua, neq;  
 nihil, neq; aliquid probatur, Exhortatur tantum Paulus.  
 Aut si sequelam Diatribes adicias & dicas, frustra  
 exhortatur, si non potest sese emundare, dum  
 probatur liberum arbitrium omnia posse sine gratiæ,  
 Atq; ita seipsam improbat Diatribe.

Expectamus igitur adhuc locum aliquem e scrip-  
 tura, qui interpretationem istam doceat, fingentibus  
 eam suo cerebro non credimus, Nos enim negamus  
 reperiri ullum locum, qui totum tribueret homini.  
 Negamus quoq; Paulum sibi pugnare, ubi dicit, Siquis  
 sese emundauerit ab istis, sed dicimus, tam pugnantiam  
 in Paulo fingi, quam interpretationem, quam illa ex-  
 torquet,



torqueat, excogitari, neutram uero monstrari. Hoc quidem fatemur, si sequelis & additamentis Diatribes scripturas augere licet, ut dicendo, frustra precipiuntur si non possumus, quae precipiuntur, tum uere pugnat Paulus sibi ipsi & tota scriptura, Quia tum scriptura alia est, quam fuit, tum etiam probat lib. arbitriam omnia posse, quid mirum uero, si cum pugnet quoque quod alibi dicit, omnia Deum solum fecere? At ea scriptura sic aucta, non modo nobis, sed etiam ipsi Diatribe pugnat, quae lib. arb. nihil boni posse uelle definit. Liberet igitur sese primum & dicat, quomodo cum Paulo conueniam ista duo, lib. arb. nihil boni uelle potest, Et si quis sese emundauerit, ergo potest sese emundare, aut frustra dicitur. Vides igitur Diatribem uexatam & uictam esse, similitudine illa figuli, tantum hoc agere, ut illam eludat, nihil interim cogitans, quantum caussa suscepta noceat interpretatio, quasmq; seipsam confutet & irrideat.

Nos uero, ut diximus, nunquam interpretationem affectauimus, nec sumus ita locuti, extende manum, id est gratia extendet. Haec omnia Diatribe fingit de nobis, in comodum caussa sua. Sed sic diximus, non esse pugnantiam in diuisis scripturae, nec opus esse interpretatione, quae nodum explicet, sed ipsi lib. arbi. assertores nodos in scirpo querunt, & pugnantias sibi somniant. Exempli gratia, illa nihil pugnant. Siquis sese emundauerit. Et Deus operatur omnia in omni-

P 3 bus. Nec



bus. Nec est necesse pro nodo explicando dicere,  
 aliquid Deus, aliquid homo agit, Quia prior locus  
 est coniunctiua oratio, quæ nihil operis aut uirtutis  
 affirmat aut negat in homine, sed præscribit, quid  
 operis aut uirtutis esse in homine debeat. Nihil hic  
 figuratum, nihil interpretatione egens, simplicia uer-  
 ba sunt, simplex sensus est, modo sequelas & cor-  
 ruptelas non addas, more Diatribes, tum enim fieret  
 sensus non sanus, uerum non sua, sed corruptoris  
 culpa. Posterior uero locus, Deus operatur omnia  
 in omnibus, est oratio indicatiua, omnia opera, om-  
 nem uirtutem affirmans in Deo. Quomodo igitur  
 pugnent duo loci, quorum unus nihil agit de uirtute  
 hominis, alter omnia tribuat Deo, ac non potius opo-  
 tunc consentiant? Sed Diatribe sic est submersa,  
 suffocata & corrupta sensu cogitationis illius car-  
 nalis (frustra præcipi impossibilia) ut non queat  
 sibi temperare, quæ, quoties uerbum imperati-  
 uum aut coniunctiuum audierit, mox suas seque-  
 las annectat indicatiuas, scilicet, præcipitur ali-  
 quid, ergo possumus & facimus, alioqui stulto  
 præciperetur. Hinc erumpit & ubiq; uictorias in-  
 stat, quasi demonstratum habeat, istas sequelas  
 cum sua cogitatione esse ratas, ceu diuinam autori-  
 tatem. Hinc secure pronunciat, quibusdam locis  
 scripturæ omnia tribui homini, ideo pugnantiam ibi  
 & interpretatione opus esse, Et non uidet, hoc totum  
 esse fig-



esse figmentum capitis sui, nullo usquam scripturae apice firmatum. Deinde eiusmodi, ut si admitteretur, neminem fortius confutaret, quam seipsam, ut quæ per ipsum probet, siquid probat, omnia posse liberum arbitrium, cuius contrarium suscepit probandū.

Sic & illud toties repetit, Si nihil agit homo, nullus locus est meritis, vbi meritis non est locus, ibi nec supplicij nec præmij locus erit. Iterum non uidet, quam seipsam istis carnalibus argumentis fortius confutet quam nos. Quid enim probant ista sequela, nisi totum meritum esse penes liberum arbitrium? vbi tum gratia locus erit? Porro si modiculum meretur liberum arbitrium, reliquum uero gratia. Cur totum præmium accipit liberum arbitrium? An modiculum etiam præmium illi fingemus? Si meritis locus est, ut præmij locus sit, etiam tantum oportet meritum esse, quantum præmium. Sed quid uerba & tempus perdo in re nihili? ut etiam omnia consistrent, quæ Diatribe machinatur, & esset partim hominis, partim Dei opus, quod meremur, tamen illud ipsum opus non possunt definire, quid, quale & quantum esset, ideo disputatio est de lana caprina. Nunc uero cum nihil eorum probet, quæ dicit, nec pugnantiam, nec interpretationem, nec locum qui totum homini tribuit, ostendere possit, omnia uero sint suæ cogitationis phantasmata, salua & inuicta stat similitudo Pauli de figulo & luto, quod non nostri arbitrij est, qualia uasa formemur.



Exhortationes uero Pauli, Siquis sese emundauerit  
 & similes, sint formæ, secundum quas nos formari  
 debemus, non autem testes nostri operis aut studij. Hæc  
 de locis illis, de induratione Pharaonis & de Esau &  
 de figulo satis dicta sint.

Venit tandem Diatribe ad locos à Luthero contra  
 liberum arbitrium citatos, confutatura & illos, quo-  
 rum primus est ille Gene. 6. Non permanebit spiritus  
 meus in homine, quia caro est. Hunc locum uarie con-  
 futat. Primum quod Caro hic non impium affectum,  
 sed infirmitatem significet. Deinde auget textum Mo-  
 si, quod dictum eius pertineat ad illius ætatis homines,  
 non ad uniuersum genus hominum, ideo dixerit, in  
 istis hominibus. Item, nec ad illius ætatis omnes homi-  
 nes, cum Noe excipiat. Tandem in Ebræo dictum  
 hoc sonare aliud, nempe, clementiam, non seuerita-  
 tem Dei, authore Hieronymo, forte nobis persuasura,  
 quod cum dictum illud non ad Noë, sed ad sceleratos  
 pertineat, non clementia, sed seueritas Dei ad Noe  
 pertineat, ad impios uero clementia, non seueritas  
 pertineat. Sed mittamus ista ludibria Diatribes, que  
 nusquam non significat, Scripturas pro fabulis sese ha-  
 bere. Quid Hieronymus hic nugetur, nihil moramur,  
 certum est, quod nihil probat, Neq; de sensu Hiero-  
 nymi, sed de sensu scripturæ disputamus. Fingat per-  
 uersor scripturæ, spiritum Dei significare indignati-  
 onem. Nos dicimus, duplici illum probatione deficere.

Prima,



Prima, quod non possit proferre unum locum scrip-  
 turae, in quo spiritus Dei pro indignatione accipiatur,  
 cum contra spiritui benignitas & suauitas ubiq; tri-  
 buatur. Deinde si qua probaret, alicubi pro indigna-  
 tione accipi, non tamen queat statim probare, sequi  
 necessario, & hoc loco sic accipiendum esse. Sic fin-  
 gat, carnem pro infirmitate accipi, tamen aequè nihil  
 probat. Nam quod Corinthios Paulus carnales ap-  
 pellat, non certe infirmitatem, sed uitium significat,  
 cum arguat eos, sectis & partibus laborare, quod  
 non est infirmitas aut incapacitas solidioris doctrinae,  
 sed malicia & fermentum uetus, quod expurgare iu-  
 bet. Ebræum uideamus.

Non iudicabit spiritus meus in homine perpetuo,  
 quia caro est, Sic enim habet ad uerbum Mose. Atq;  
 si nostra somnia mitteremus, satis aperta & clara  
 (puto) stant ibi uerba. Esse autem uerba irati Dei,  
 satis ostendunt præcedentia & sequentia cum effectu  
 diluuij. Causa enim dicendi fuit, quod filij hominum  
 ducerent uxores mera carnis libidine, deinde tyran-  
 nide terram præmerent, ita ut diluuium accelerare  
 cogerem iratum Deum, & uix centum uiginti annos  
 differre, quod alias nunquam erat inducturus. Lege  
 Mosén & obserua, uidebisq; clare id eum uelle. Quid  
 mirum uero, si obscuræ sint scripturae, aut per ipsas  
 non modo liberum, sed etiam diuinum arbitrium sta-  
 tuas, si sic licet in illis ludere, ac si Virgilicentronas



in illis queris? Scilicet, hoc est nodos explicare & interpretatione quaestiones dirimere. Verum Hieronymus & suus Origenes istis nugis repleverunt orbem, & authores fuerunt pestilentis huius exempli, ne simplicitati scripturarum studeretur. Mihi ex illo loco satis erat probari, quod diuina auctoritas homines appellaret carnem, & adeo carnem, ut spiritus Dei non posset inter eos durare, sed statuto tempore esset reuocandus ab eis. Quod enim negat perpetuo inter homines spiritum suum iudicaturum esse Deus, mox definit, cum centum uiginti annos prescribit, quibus adhuc sit iudicaturus, Opponit autem spiritum carni, quod homines cum sint caro, spiritum non admittant, ipse uero cum sit spiritus, carnem probare non possit, ita fieri, ut reuocandus sit, post centum uiginti annos. Ut locum Mosi sic intelligas, Spiritus meus qui est in Noe, & alijs uiris sanctis, arguit illos impios, per uerbum praedicationis & uitam piorum (Iudicare enim inter homines, est officio uerbi inter eos agere, arguere, increpare, obsecrare oportune importune) sed frustra, illi enim carne excecati & indurati, eo sunt peiores, quo plus iudicatur, sicut fit, quoties uerbum Dei in mundum uenit, ut peiores fiant, quo magis erudiantur. Atq; haec causa fecit, ut acceleretur ira, sicut & ibi acceleratum est diluuium, quando iam non solum peccatur, sed etiam gratia contemnitur, & ut Christus ait, Veniente luce, oderunt homines lucem. Cum igitur



Cum igitur homines sint caro, Deo ipso teste, nihil sapere possunt nisi carnem, ideo nihil ualere liberum arbitrium nisi ad peccandum, cum etiam spiritu Dei inter eos uocante & docente, in peius proficiant, quid fierent sibi relictis sine spiritu Dei? Neque hic quicquam facit ad rem, quod Moses de illis etatis hominibus loquitur, idem pertinet ad omnes homines, cum sint omnes Caro, sicut Christus dicit Iohan. 3. Quod natum est ex carne, caro est. Quod quam graue uitium sit, ipsemet ibidem docet, ubi dicit, Non intrare regnum Dei posse quenquam nisi denuo renatus fuerit. Sciat itaque Christianus, Origenem & Hieronymum, cum suis omnibus, perniciose errare, ubi negant carnem pro impio affectu accipi in istis locis. Nam & illud Corinthiorum. 3. Adhuc carnales estis, ad impietatem pertinet. Vult enim Paulus adhuc impios inter eos esse, Tum pios quatenus sapiunt carnalia, carnales esse, licet spiritu sim iustificati. Summa, id obseruabis in scripturis, ubicumque de carne agitur per antithesin ad spiritum, ibi fere per carnem intelligas omnia contraria spiritus, Vt ibi, Caro non prodest quicquam. Vbi uero absolute tractatur, ibi conditionem naturamque corporalem significare scias, ut, Erunt duo in carne una. Caro mea uere est cibus. Verbum caro factum est. In his locis poteris, mutato Ebraismo, corpus pro carne dicere, Ebraea enim lingua uno uocabulo Carnis, significat, quod nos duobus carne & cora



& corpore significamus, Et uellem sic fuisse transla-  
tum distinctis uocabulis totum ubiq; scriptura cano-  
nem. Sic arbitror locus meus ex Gene. 6. adhuc fortia-  
ter stabit aduersus lib. arb. quando caro esse probat-  
ur, quam Paulus Rom. 8. dicit, nec posse Deo subijci,  
ut uidebimus eo loco, & ipsamet Diatribe dicit, nihil  
boni uelle posse.

Alter locus est Gene. 8. Sensus & cogitatio cordis  
humani prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Et  
cap. 6. Cuncta cogitatio cordis humani intenta est ad  
malum omni tempore. Hunc sic eludit. Procliuitas ad  
malum, quæ est in plerisq; hominibus, non adimit in  
totum libertatem arbitrij. Sed obsecro, loquitur ne  
Deus de plerisq; hominibus ac non potius de omnibus,  
quando post diluuium, uelut pœnitens, promittit re-  
liquis & futuris hominibus, sese non amplius inducetur  
rum diluuium propter hominem, subdens causam,  
quod homo sit pronus ad malum, quasi dicat, si homi-  
num malicia deberet spectari, nunquam cessandum a  
diluuiio esset, Verum nolo spectare deinceps, quid me-  
reantur & c. Ita uides, quod tam ante diluuium, quam  
post diluuium, Deus homines malos esse affirmat, ut  
nihil sit, quod Diatribe de plerisq; dicit. Deinde  
prinitas aut procliuitas ad malum, res parui momenti  
uidetur Diatribe, quasi nostræ sit opis, illam erigere  
aut cohibere, cum scriptura uelit ea prinitate, assis-  
duum illum raptum & impetum uoluntatis ad ma-  
lum sig-



lam significare. Aut cur non & hic Ebraicum consu-  
luit, ubi nihil de pronitate Moses dicit? ne cauillandi  
causam habeas. Sic enim habet Cap. 6. Chol Ietzer  
Mahescheboth libbo rak ra chol ha iom, hoc est, om-  
ne figmentū cogitationū cordis eius tantū malū cunctis  
diebus. Non dicit intemum uel pronum ad malum,  
sed prorsus malum ac nihil nisi malum fingi & cogi-  
tari ab homine tota uita, Natura malicie eius descrip-  
ta est, quod nec faciat nec possit aliter, cum sit mala,  
neq; enim arbor mala fructus alios quā malos ferre  
potest, teste Christo. Quod uero Diatribe argutatur,  
Quid datum sit spatium pœnitentiæ, si nulla pars re-  
sipiscentiæ pendet ab arbitrio, sed omnia necessitate  
geruntur? Respondeo, idem dices ad omnia præcep-  
ta Dei, Cur præcipiat, si necessitate omnia fiant? præ-  
cipit, ut erudiat & moneat, quid debeant, ut agnita  
sua malicia humiliati, perueniant ad gratiam, ut abun-  
de dictum est. Stat ergo & hic locus adhuc inuictus  
aduersus libertatem arbitrij.

Tertius est ille Esaiæ. 40. Suscepit duplicia de  
manu Domini pro omnibus peccatis suis. Hierony-  
mus (inquit) de uindicta diuina interpretatur, non de  
gratia reddita pro malefactis. Audio, Hieronymus  
dicit sic, ergo est uerum, Ego de Esaiâ disputo, clarissi-  
mis uerbis differente, & mihi Hieronymus obijci-  
tur, ne quid asperius dicam, homo nullius neq; iudicij  
neq; diligentie. Vbi est promissio illa, qua pactum fe-  
cimus,



cimus, nos uelle ipsis scripturis agere, non commen-  
 tarijs hominum? Totum capitulum in Esaiæ testibus Evan-  
 gelistis loquitur de remissione peccatorum per Evan-  
 gelion annunciata, ubi ad Iohannem Baptistam uocem  
 clamantis pertinere dicunt. Et nos feremus, ut Hiero-  
 nymus more suo, Iudaicas cecitates pro historico  
 sensu, deinde suas ineptias pro allegoria obrudat: ut  
 inuersa grammatica, de uindicta intelligamus locum,  
 qui de remissione loquitur. Obsecro qualis est uindic-  
 ta impleta per Christum prædicatum? Sed uerba ip-  
 sa uideamus in Ebreo, Consolamini (inquit) Conso-  
 lamini popule meus, uel populum meum, dicit Deus  
 uester. Arbitror illum non uindictam exigere, qui in-  
 bet consolari. Sequitur, Loquimini ad cor Ierusalem  
 & prædicat illi. Ebraismus est, loqui ad cor, id est,  
 bona, dulcia & blanda loqui, quemadmodum Gene-  
 34. Sichem loquitur ad cor Dinæ, quam corruperat,  
 id est, tristem delinibat blandicijs, ut nostrum transulit.  
 Quæ autem sint illa bona & dulcia, prædicari iussa  
 ad solatium eorum, exponit dicens. Quoniam finita  
 est militia eius, eo quod iniquitas eius condonata sit,  
 accepit enim de manu Domini duplicia pro omnibus  
 peccatis suis. Militia, quod nostri codices uitiose ha-  
 bent Malitia, Iudeis audacibus grammatistis uidetur  
 tempus statutum significare, sic enim illud Iob .7. in-  
 telligunt, Militia est uita hominis super terram, id est,  
 tempus est ei definitum. Mihi simpliciter, ut grammat-  
 tica habet,



habet, dici Militiam placet, ut Esaiam intelligas  
 loqui de cursu & labore populi sub lege, uelut in sta-  
 dio militantis. Sic enim Paulus tam prædicatores  
 quam auditores uerbi militibus libenter comparat, ut  
 dicitur Timotheum bonum militem & bonam militiam  
 certare iubet. Et Corinthios in stadio currere facit.  
 Item, nemo coronatur, nisi legitime certauerit, Ephe-  
 sos & Thessalonicenses armis instruit, Et se bonum  
 certamen certasse gloriatur, Et similia alias. Sic &  
 1. Reg. 2. scribitur in Ebræo, quod filij Eli dormie-  
 bant cum mulieribus militantibus in ostio tabernaculi  
 sacerdotis, de quarum militia & Moses in Exodo me-  
 morat, Et hinc Dominus Zebaoth uocatur Deus po-  
 puli illius, id est Dominus militiæ uel exercituum.

Esaias igitur militiam legalis populi, qua sub lege  
 uexabantur uelut onere importabili, teste Petro Actu-  
 15. denunciat finiendam esse, & liberatos à lege in  
 nouam militiam spiritus transferendos. Porro is finis  
 militiæ durissimæ, & successio militiæ nouæ & liber-  
 rime, non dabitur illis merito illorum, cum illam neq;  
 ferre potuerint, imò demerito illorum potius, quia sic  
 finitur eorum militia, quod donatur eis gratuito eorum  
 iniquitas. Non sunt hic uerba obscura, uel ambigua.  
 Militiam finiendam dicit, ideo, quod donetur eius ini-  
 quitas, manifeste significans, milites sub lege, non im-  
 plesse legem, neq; implere potuisse, sed militiam pec-  
 cati exercuisse & milites peccatores fuisse, ac si dicat  
 Deus,



Deus, cogor eis peccata donare, si uolo legem ab illis impleri, imò simul legem tollere, quia uideo non posse eos non peccare, tum maxime cum militant, id est, legem uiribus suis exprimere laborant. Nam uerbum Ebraicum, Donata est iniquitas, significat gratiam beneplacitum, Et eo donatur iniquitas, sine ullo merito, imò cum demerito. Atq; hoc est quod subdit, Accepit enim de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis, Hoc est, ut dixi, non solum remissionem peccatorum, sed etiam finitam militiam, quod est aliud nihil, quam sublata lege, quæ erat uirtus peccati, et donato peccato, quod erat aculeus mortis, regnarent in libertate duplici per uictoriam Ihesu Christi, id est, quod Esaias dicit, De manu Domini, non enim suis uiribus aut meritis hæc obtinuerunt, sed uictore Christo et donante acceperunt. In omnibus peccatis, dicitur Ebraismo, id quod latine dicitur, pro, uel propter peccata, ut Osee. 12. Iacob seruiuit in uxore, id est, pro uxore. Et Psal. 16. Circumdede runt me in anima mea, id est, propter animam meam. Igitur merita ne frustra pingit Esaias, quibus duplicem illam libertatem obtinemus, et finitam militiam legis, et donati peccati, scilicet, quod nihil nisi peccata, et omnia peccata fuerint. Hunc ceterum pulcherrimum et inuictum locum contra lib. arb. sic patremur conspurcari sermibus ludicis per Hieronymum. Et Diatriben allatit Absit, Stat uero Esaias meus uictor liberi arbitrij, et desinit,



desinit, gratiam donari, non meritis aut liberi arbitrii conatibus, sed peccatis & demeritis, liberumq; arbitrium suis uiribus nihil, nisi militiam peccati exercere posse, adeo ut & ipsa lex, quae in adiutorium dari putatur, ei fuerit intolerabilis & magis peccatorem fecerit, militantem sub ipsa.

Quod autem Diatribe disputat, licet per legem peccatum abundet, & ubi peccatum abundauit, abundet & gratia, non tamen hinc sequi, quod homo ante gratiam gratum facientem, adiutus auxilio Dei, non possit sese per opera moraliter bona praeparare fauori diuino. Mirum, si suo capite loquitur, ac non ex aliqua charta aliunde missa uel accepta, decerpserit, libroq; suo inseruerit Diatribe. Neq; enim uidet, neq; audit, quid sua uerba sonent. Si per legem abundat peccatum, quomodo est possibile, hominem per opera moralia posse praeparare sese fauori diuino? Quomodo opera profint, cum lex non proffit? aut quid est aliud per legem abundare peccatum, quam opera secundum legem facta esse peccata? Sed haec alias. Quid uero dicit, quod homo adiutus Dei auxilio possit operibus moralibus sese praeparare? Disputamus ne de diuino auxilio, uel de libero arbitrio? Quid enim non sit possibile diuino auxilio? Sed hoc est, quod dixi, Diatribe causam contemnit, quam agit, ideo sic fertit & oscitat loquendo. Cornelium tamen illum sententiam pro exemplo adducit, ut cuius preces

Q & elea



& elemosynæ placuerint nondum baptisati, necdam  
 afflati spiritu sancto. Ego quoq; Lucam in Actis legi,  
 nec tamen inueni ulla syllaba indicari, quod opera  
 Cornelij fuerint moraliter bona, sine spiritu sancto, ut  
 somniat Diatribe, Sed contrarium inuenio, quod ius-  
 tus & timens Deum fuerit, Sic enim Lucas eum ap-  
 pellat. Iustum autem & timentem Deum sine spiritu  
 sancto dici, est idem, quod Belial Christum dici. De-  
 inde tota disputatio ibi agit, quod mundus coram Deo  
 sit Cornelius, etiam teste uisione de caelo ad Petrum  
 missa & ipsum increpante, scilicet, tantis uerbis &  
 rebus iustitia & fides Cornelij à Luca celebratur, Ni-  
 hilominus Diatribe cum suis Sophistis, apertis oculis  
 in clarissima luce uerborum & euidentiâ rerum ce-  
 cutiunt & contrarium uident, tanta est indiligentiâ  
 legendi & obseruandi sacras literas, quas tum oportet  
 obscuras & ambiguas infamari. Esto, nondum erat  
 baptisatus & uerbum de Christo suscitato nondum  
 audierat, Nunquid hinc sequitur, ipsum sine spiritu  
 sancto fuisse? Sic & Iohannem Baptistam cum suis pa-  
 rentibus, tum Matrem Christi & Simeonem dices sine  
 spiritu sancto fuisse. Sed ualeant tenebræ tan crasse.

Quartus locus Esaias eodem cap. Omnis caro fe-  
 num & omnis gloria eius, quasi flos feni, Exiccatum  
 est fenum & flos feni cecidit, quia spiritus Domini  
 sufflauit in illud &c. Videtur Diatribe meæ uiolen-  
 tius ad gratiam & lib. arb. trahi, Quare hoc quæso?

Quia



Quia Hieronymus (inquit) spiritum pro indignatione accipit, carnem pro infirma hominis conditione, quæ nihil ualet aduersus Deum. iterum mihi Hieronymi nugæ pro Esaiâ afferuntur, fortius contra tedium mihi pugnandum est, quo me conficit tanta indigentia (nequid acerbius dicam) Diatribe, quam contra ipsam Diatriben. Sed diximus paulo ante iudicium nostram de Hierony. sententiâ. ipsam queso Diatribe sibi ipsi comparemus. Caro (inquit) est infirma hominis conditio, Spiritus autem indignatio diuina. Nihilne igitur aliud habet indignatio diuina, quod exicet quam miseram illam & infirmam hominis conditionem, quam potius debeat erigere? Sed illud pulcherrimus, flos feni est gloria, quæ nascitur ex felicitate rerum corporalium. Iudæi gloriabantur templo, præputio, uictimis. Græci sapientia. Igitur flos feni & gloria carnis est iustitia operum & sapientia mundi. Quomodo igitur, iustitia & sapientia dicuntur res corporales apud Diatriben? Quid tum ad ipsum Esaiam, qui proprijs uerbis sese interpretatur dicens? Vere fenum est populus, non dicit, uere fenum est infirma hominis conditio, sed populus, idq; asserit iuramento. Quid autem est populus? An est sola conditio hominis infirma? Iam an infirmam hominis conditionem intelligat Hieronymus ipsam creationem uel sortem & statum hominis miserum, nescio. Sed utrum sit, Egregiam certe laudem & spolia

Q z ampla



ampla refert diuina indignatio, quod miseram creaturam uel homines infelices exiccat, ac non potius superbos dispergat & potentes de sede deponat & diuites dimittat inanes, ut Maria canit. Sed Esaiam, dimissis laruis, sequamur, populus (inquit) est fenum, populus autem non est mera caro uel infirma conditio humane nature, sed complectitur, quicquid est in populo, scilicet, diuites, sapientes, iustos, sanctos. Nisi de populo Iudeorum non sunt Pharisei, Seniores, Principes, Optimates, Diuites &c. Flos feni recte gloria dicitur, scilicet, quod de regno, de politica, maxime uero de lege, Deo, Iustitia & sapientia gloriabantur, ut Paulus Rom. 2. 3. & .9. disputat.

Cum ergo dicit Esaias, Omnis caro, quid hoc est aliud quam omne fenum seu omnis populus? Non enim simpliciter dicit, Caro, sed omnis caro. Ad populum autem pertinet, anima, corpus, mens, ratio, iudicium & quicquid etiam in homine potest prestantissimum dici aut inueniri. Nullum enim excipit, qui dicit, Omnis caro fenum, nisi spiritum qui exiccat. Nihil quoque omittit, qui dicit, fenum est populus. Da igitur libertatem, da quicquid in populo potest summum & infimum haberi, totum hoc Esaias carnem appellat & fenum. Quia tria illa nomina, Caro, fenum, populus, ipsomet interpretat, qui est author libri, idem hoc loco significant. Deinde tu ipse affirmas, Græcorum sapientiam & Iudeorum iustitiam, quæ exiccata sine pre-

Euange



Euangelion, fenum uel florem feni esse. An putas sapi-  
 entiam in Græcis non fuisse præstantissimum, quod ha-  
 buerunt? & iustitiam in iudæis non fuisse præstantissi-  
 mum, quod potuerunt? Tu doce aliud præstantius. Vbi  
 igitur est fiducia tua, qua etiam (Philippum puto) sug-  
 gillabas dicens, Siquis contendat, id quod in hominis  
 natura est præstantissimum, nihil aliud quam carnem,  
 id est, impium esse, huic facile assentiam, si id quod  
 assuecat, scripturæ sacre testimonijs doceat. Habes  
 hic Esaiam, qui populum spiritu Domini uacuum, car-  
 nem magna uoce clamat, quanquam nec sic audias. Ha-  
 bes tuam ipsius confessionem, qui Græcorum sapienti-  
 am (forte imprudenter) dicit fenum uel gloriam feni,  
 quod idem est, ac si carnem dixeris, nisi sapientiam  
 Græcorum contendas non pertinere ad rationem uel  
 hegemonicon, ut dicit, id est, principalem partem ho-  
 minis. Audi quæso, si nos contemnis, uel teipsum ui ue-  
 ritatis captum, recta dicentem. Habes Iohannem,  
 Quod natum est ex carne, caro est. Quod natum est  
 ex spiritu, spiritus est. Hunc locum, qui euidenter con-  
 uincit, id quod ex spiritu natum non est, carnem esse,  
 alioqui partitio Christi non subsisteret, qui omnes ho-  
 mines in duo diuidit, in carnem & spiritum. Hunc  
 igitur locum, quasi te non doceat quod petis, fortiter  
 transis, & aliorum te proripis more tuo, differens  
 interim Iohannem dicere, credentes ex Deo nasci ac  
 filios Dei fieri, imò Deos & nouam creaturam. Non  
 quid



quid partito concludat curas, sed qui sint in parte al-  
tra partitionis ociosis uerbis nos doces, Rhetorica tua  
fusus, quasi nemo sit, qui hanc transitionem & disti-  
mulationem tam callidam sit obseruaturus.

*Contro ep  
hanc*

Difficile est te hoc loco non subdolum & uersu-  
pellem credere, Qui enim scripturas ea colit uasfricia  
& hypocrisi, qua tu colis, is secure poterit de se con-  
fiteri, scripturis sese nondum esse doctum, uelle autem  
doceri, cum nihil uelit minus, & hæc tantum garrula  
ad contumeliam lucis clarissima in scripturis, & ad  
suam pertinaciam ornandam. Sic Iudæi usq; in hodi-  
ernum diem dicunt, scripturis non probari, quæ Chri-  
stus, Apostoli & tota Ecclesia docuerunt. Nihil Hæ-  
retici scripturis possunt doceri. Papistæ scripturis ad-  
huc non sunt edocti, quamuis etiam saxa clamant ueri-  
tatem. Forte expectas locum e scripturis producen-  
dum, qui istis literis & syllabis constet, Pars princi-  
palis in homine est caro, uel id quod præstantissimum  
est in homine, est caro, alioqui inuictus uictor futu-  
rus, tanquam si Iudæi postularent, ut ex Prophetis  
proferatur sermo, qui his literis constet, Iesus fabri  
filius & Maria uirgine natus in Bethlehem, est Me-  
ssias & filius Dei. Hic ubi aperta sententia cogaris,  
litteras & syllabas nobis præseribis, quas profera-  
mus, alibi ubi & literis & sententia unceris, tro-  
pos, nodos & interpretationes sanas habes. Nus-  
quam non inuenis, quod contradicas scripturis diuinis. Nec



nis. Nec mirum, qui nihil aliud agis, quam ut queras,  
 quod contradicas. Nunc curris ad interpretationes  
 ueterum, nunc ad absurditates rationis, ubi horum  
 neutrum succurrerit, tum aliena & uicina differis,  
 tantum, ut presente scripturæ loco non tenearis. Quid  
 dicam? Protheus non est Protheus si tibi compare-  
 tur, Nec sic tamen elabi potes. Quamuis uictorias  
 Arriani iactabant, quod syllabæ istæ & literæ Homo-  
 usios non haberentur in scripturis, nihil morati, quod  
 alijs uerbis idem efficacissime probaretur? Sed an  
 hoc sit boni, non dicam pij animi, erudiri cupientis,  
 iudicet uel ipsa impietas & iniquitas. Habe igitur  
 uictoriam, nos uicti confitemur, hos characteres &  
 syllabas (prestantissimum in homine nihil nisi caro  
 est) in sacris scripturis non inueniri. Tu autem uide,  
 qualis sit uictoria tua, cum nos probemus in scripturis  
 locupletissime inueniri, quod non una portio uel præ-  
 stantissimum aut principalis pars hominis sit caro,  
 sed totum hominem esse carnem, Nec id solum, sed  
 totum populum esse carnem, Atq; ne hoc quidem sa-  
 tis, sed totum genus humanum esse carnem. Christus  
 enim dicit, Quod natum est ex carne, caro est. Tu  
 solue nodos, finge tropos, sectare interpretationem  
 ueterum, aut alio uersus, interim de Troiano bello di-  
 ssere, ne uideas uel audias presentem locum. Nos non  
 credimus, sed uidemus & experimur, totum genus  
 humanum ex carne natum esse. Ideo cogimur credere

Q 4 quod



quod non uidemus, scilicet, totum genus humanum  
 carnem esse, docente Christo. An nunc igemonica pars  
 in homine comprehendatur toto homine, toto populo,  
 toto genere hominum, permittimus Sophistis, ut du-  
 bitem & disputent, nos in toto genere humano scimus  
 complecti corpus & animam cum omnibus uiribus &  
 operibus, cum omnibus uitijs & uirtutibus, cum omni  
 sapientia & stultitia, cum omni iustitia & iniustitia.  
 Omnia sunt caro, quia omnia sapiunt carnem, id est,  
 que sua sunt, uacantq; gloria Dei & spiritu Dei, ut  
 Paulus ait Roma. 3.

Quod igitur dicis, Nec omnis affectus hominis est  
 caro, Sed est qui dicitur anima, est qui dicitur spiritus,  
 quo nitimur ad honesta, sicut Philosophi nixi sunt,  
 qui docuerunt nullies oppetendam esse mortem citius  
 quam admittendam turpitudinem, etiam si sciremus su-  
 turum, ut ignorarent homines & Deus ignosceret.  
 Respondeo, Qui nihil certe credit, huic facile est,  
 quid uis credere & dicere. Non ego, sed Lucianus  
 tuus te interroget, an unum in uniuerso genere huma-  
 no ( sit bis aut septies ipse Socrates ) ostendere queas,  
 qui hoc prestitit, quod tu hic dicis & eos docuisse  
 scribis? Quid igitur inanibus uerbis fabularis? Ad  
 honesta illi niterentur? qui etiam nesciebant, quid  
 esset honestum. Honestum forte dices, si exemplum  
 prestantissimum petam, quod pro patria, pro coniu-  
 gibus & liberis, pro parentibus occubuerint, aut ne  
 mentirentur



mentirentur aut proderent, exquisitos cruciatus per-  
 tererint, quales Q. Scruola, M. Regulus & alij  
 fuerint. Quid uero in his omnibus, nisi speciem ex-  
 ternam operum monstrare poteris? An cor eorum  
 uideristi? imò simul in specie operis apparuit, quod  
 pro gloria sua hæc omnia gesserunt, ita ut nec pudue-  
 rit confiteri & gloriari sese gloriam suam querere.  
 Nam & gloria perurente gesserunt Romani, ipsismet  
 testibus, quicquid uirtutis gesserunt, ita & Græci, ita  
 & Iudæi, ita & omne genus hominum. Sed ut sit hoc  
 honestum apud homines, apud Deum tamen nihil est  
 inhonestius, imò impiissimum & summum sacrilegi-  
 um, nempe, quod non pro gloria Dei egerunt, nec ut  
 Deum glorificauerunt, sed impiissima rapina, Deo  
 gloriam rapientes & sibi attribuentes, nunquam ma-  
 gis inhonesti & turpes fuerunt, quam dum in sum-  
 mis suis uirtutibus fulserunt. Quomodo uero pro glo-  
 ria Dei agerent, cum Deum & gloriam eius ignora-  
 rent, non quod non appareret, sed quod caro non si-  
 nebat eos uidere gloriam Dei, præ furore & insania  
 in gloriam propriam. Habes igitur spiritum illum  
 regnicum principalem partem hominis ad honesta  
 nitentem, id est, latronem gloriae diuinæ & maiestatis  
 affectatorem, tum maxime, cum sunt honestissimi &  
 summis suis uirtutibus illustrissimi. Hos nunc nega esse  
 carnem & impio affectu perditos.

Nec credo Diatriben adeo offendi ea locutione,

Q 5 quod ho-



quod homo dicatur esse caro uel spiritus, cum latinus diceret, Homo est carnalis uel spiritualis. Donandus est enim hoc, sicut & multa alia, Ebraeae linguae, ut cum dicit, Homo est caro uel spiritus, idem significet, quod nos, cum dicimus, Homo est carnalis uel spiritualis, quemadmodum latini dicunt, Triste lupo scabulis, dulce satis humor, uel cum dicunt, Iste homo est scelus & ipsa malitia. Ita & scriptura sancta per Epitaphin, hominem uocat carnem, quasi ipsam carnalitate, quod nimio ac nihil aliud sapiat, quam ea, quae carnis sunt, Et spiritum, quod nihil nisi ea, quae spiritus sunt, sapiat, querat, agat & ferat. Nisi forte hoc adhuc reliquum querat, etiam si totus homo & prestantissimum in homine caro esse dicatur, nunquid ideo statim etiam impium dici oporteat, quicquid caro fuerit? Nos impium dicimus, quisquis sine spiritu Dei fuerit. Nam ideo scriptura dicit spiritum donari, ut impium iustificet. Cum uero Christus spiritum a carne distinguat dicens, Quod natum est ex carne, caro est, addatque, non posse natum ex carne regnum Dei uidere, euidenter sequitur, quicquid fuerit caro, idem impium & sub ira Dei, alienumque a regno Dei esse. Quod si a regno & spiritu Dei alienum est, necessario sequi, quod sub regno & spiritu Satanae sit, cum non sit medium regnum inter regnum Dei & regnum Satanae, mutuo sibi & perpetuo pugnantia. Haec sunt, quae demonstrant, summas uirtutes in gentibus,



gentibus, optima in Philosophis, præstantissima in ho-  
minibus, coram mundo quidem dici & apparere ho-  
nesta & bona, sed coram Deo uere sunt caro & Sa-  
tanæ regno seruientia, id est, impia & sacrilega, om-  
nibusq; nominibus mala.

Sed fingamus quæso Diatribes sententiam stare,  
quod non omnis affectus sit caro, id est, impius, sed sit  
is, qui spiritus dicitur, honestus & sanus, uide quan-  
tum absurditatis hinc sequatur, non quidem apud ra-  
tionem humanam, sed in tota Christiana religione &  
summis fidei articulis. Si enim præstantissimum in ho-  
mine non est impium neq; perditum aut damnatum,  
sed solum caro, id est, crassiores & inferiores affec-  
tus, qualem rogo faciemus Christum redemptorem?  
An præcium sanguinis eius tam uile faciemus, ut solum  
id, quod uilissimum est in homine redemerit, præstan-  
tissimum uero in homine per sese ualeat & Christo  
non habeat opus? ut Christum demceps prædicemus  
redemptorem, non totius hominis, sed partis eius ui-  
lissimæ, scilicet carnis, Hominem uero ipsummet sui-  
ipsum redemptorem in potiore sui parte. Elige  
utrum uolueris, Si sana est potior pars hominis,  
redemptore Christo non eget. Si Christo non eget,  
maiore gloria super Christum triumphat, ut quæ  
sepe potiores partes curet, cum Christus uilio-  
rem tantum curet. Deinde regnum Satanae quoq;  
uihil erit, ut quod uilioris parte hominis regnet, a  
potiore



potiore uero parte per hominem potius regnetur. Ita fiet per dogma istud de principali parte hominis, ut homo supra Christum & diabolum extollatur, hoc est, fiet Deus Deorum & Dominus dominantium. Vbi nunc est illa opinio probabilis, quæ dixit lib. arb. nihil boni uelle posse, hic uero contendit, esse principalem partem & sanam honestamq; , ne Christo quidem indigere, sed plura posse quam Deus ipse & diabolus possunt. Hoc dico, ut iterum uideas, quanti periculis res sit, sacra ac diuina tentare sine spiritu Dei, temeritate rationis humana. Igitur si Christus est agnus Dei qui tollit peccatum mundi, mundum totum sub peccato, damnatione & diabolo esse sequitur, nihilq; predest distinctio partium principalium & non principalium. Mundus enim significat homines mundana sapientes partibus omnibus.

Si totus homo ( inquit ) etiam renatus per fidem, nihil aliud est quam caro, ubi spiritus e spiritu natus? ubi filius Dei? ubi noua creatura? Super his doceri uelim. Hæc Diatribe. Quo? Quo? mea Diatribe Charissima? quid somnias? Tu petis doceri, quomodo spiritus natus e spiritu sit caro. Proh quam læta & secura uictoria nobis uictis hic insultas, quasi impossibile sit, nos hic subsistere. Interim uetrum authoritatis uis abuti, qui semina quedam honesti tradunt institutibus hominum. Primum, si ita uis, per nos quidem licet, ut uetrum authoritate utaris uel abutaris, tu uideris



uideris quid credas, qui hominibus credis, sua dictan-  
 tius sine uerbo Dei. Nec forte multum te cruciat re-  
 ligionis cura, quid quis credat, qui tam facile homini-  
 bus credis, nihil moratus, an certum uel incertum sit  
 apud Deum, quod dicunt. Et nos super hoc doceri ue-  
 limus, quando nos unquam id docuerimus, quod tu tam  
 libere & publice nobis imputas? Quis ita insanit,  
 ut nihil nisi carnem esse dicat eum, qui natus est ex spi-  
 rita? Nos manifeste separamus carnem & spiritum  
 tanquam res pugnantes, dicimusq; cum oraculo diui-  
 no, hominem, qui non est renatus per fidem, esse car-  
 nem. Deinde renatum non amplius carnem esse dici-  
 mus, quam secundum reliquias carnis, quæ aduersan-  
 tur primicijs accepti spiritus. Nec credo, quod hoc in-  
 nostri uolueris inuidiam fingere, alioqui, quid pote-  
 ras nobis sceleratius imponere? Sed uel nihil intelligis  
 nostrarum rerum, uel magnitudini rerum impar esse  
 uideris, quæ sic premeris & confunderis forte, ut  
 non satis memor sis, quid uel in nos, uel pro te dicas.  
 Nam quod ueterum autoritate credis, semina quæ-  
 dam honesti instituta hominum, iterum obliuio-  
 ne quadam dicis, cum supra asserueris, nihil boni uelle  
 posse liberum arbitrium. Non posse autem quicquam  
 boni uelle, nescio, quomodo secum patatur semina  
 quedam honesti. Sic ego perpetuo cogor te admonere  
 status causæ susceptæ, à quo tu perpetua obliuione  
 discedis & aliud agis quam institueras.

Alius locus



Alius locus est Hieremie .x. Scio Domine, quoniam non est hominis uia eius, nec ullius est, ut ambulat & dirigat gressus suos. Hunc locum dicit, magis pertinere ad euentum rerum letarum, quam ad potestatem liberi arbitrij. Hic iterum Diatribe cū fiducia glosam affert, pro ut uisum est, tanquam scriptura sit sub iure suo plenissimo. Ut autem Prophetæ sensum & intentum consideraret, quid opus erat tantæ authoritatis uiro? Sat est, Erasmus dicit, ergo sic est. Hac libidine glossandi permessa aduersarijs, quid est quod non obtineant? Doceat igitur ex ipsius sermonis serie hanc glosam, & credemus. Nos autem docemus ex ipsa serie, Prophetam cum uideret sese frustra docere impios tanta instantia, simul intelligit, uerbum suum nihil ualere, nisi Deus intus doceat, atq; ideo non esse in manu hominis audire & bonum uelle. Hoc animaduerso, Dei iudicio territus, petit, ut corrigat eum in iudicio, si omnino corrigi debet, & non tradatur cum impijs sub iram Dei, quos sinit indurari & incredulos manere. Sed si negamus tamen locum de euentis rerum tristium & letarum intelligi, quid si hæc ipsa glosa fortissime subuertat liberum arbitrium? Fingitur quidem hoc nouum effugium, ut rudes & inertes falsi, putent esse satisfactum, sicut illi faciunt effugio illo de necessitate consequentiæ. Non uident enim, quomodo multo magis irretiantur & capiuntur istis effugijs, adeo

auertunt  
 rerum  
 porale.  
 Obsecr  
 lestis.  
 An libe  
 tinere,  
 retiner  
 & pot  
 mus: P  
 homo a  
 multo  
 dum ni  
 Quam  
 tm hor  
 & pr  
 fidias  
 tæ aut  
 ror D  
 fieri,  
 dit, eu  
 De  
 bitrium  
 posse  
 inter  
 mus q  
 spectu



uertuntur nouis istis uocabulis. Si itaque euentus  
 rerum istarum non est in manu nostra, quæ sunt tem-  
 porales & quibus homo dominus constituitur Gen. 1.  
 Obsecro, quomodo erit in manu nostra res illa cœ-  
 lestis, gratia Dei, quæ in solius arbitrio Dei pendet?  
 An liberi arbitrij conatus potest salutem æternam ob-  
 tinere, qui non potest obulum, imò nec pilum capitis  
 retinere? Non est nobis potestas obtinenda creaturæ,  
 & potestas erit obtinendi creatoris? Quid insani-  
 mus? Pertinet igitur id multo maxime ad euentus, quod  
 homo ad bonum uel ad malum nititur, quia utrobique  
 multo magis fallitur & minus libertatis habet, quam  
 dum nititur ad pecuniam uel gloriam uel uoluptatem.  
 Quam pulchre igitur euasit hæc glosa, quæ libertatem  
 hominis negat in paruulis & creatis euentibus,  
 & prædicat eam in summis & diuinis euentibus. Ac  
 si dicas, Codrus non potest staterem persoluere, po-  
 test autem infinita milia aureorum persoluere. Et mi-  
 nor Diatriben, quæ illud Viglephi, omnia necessario  
 fieri, adeo persecuta hæctenus, nunc ipsamet conce-  
 dit, euenta esse necessaria nobis.

Deinde si maxime torqueas (ait) ad liberum ar-  
 bitrium, nemo non fatetur, absq; gratia Dei neminem  
 posse rectum uitæ cursum tenere, Nihilominus tamen  
 interim amittimur & ipsi pro uiribus, quia ora-  
 mus quotidie, Dirige Domine Deus meus in con-  
 spectu tuo uiam meam. Qui petit auxilium, non  
 deponit



deponit conatum. Nihil putat Diatribe referre, quid respondeat, modo non taceat & aliquid dicat, tum satisfactum uult uideri, adeo confidit auctoritate sua. Probandum fuit, an nos uiribus nostris nitamur, & probat, quod orans aliquid conetur, Obsecro, an nos irridet? an ludificatur Papistas? Qui orat, spiritus orat, imò spiritus ipse in nobis orat, Ro. 8. Quomodo igitur per conatum spiritus sancti probatur potestas liberi arbitrij? An eadem res est lib. arb. & spiritus sanctus apud Diatriben? An disputamus nunc, quid spiritus possit? Relinquit igitur locum istum Hieremie mihi intactum Diatribe, atq; inuictum, solumq; id sui capitis affert glossema, Nos etiam amittimur uiribus. Et huic cogetur Lutherus credere, modo uelit.

Item illud Prouerbi. 16. Hominis est preparare cor, Domini autem gubernare linguam. Etiam ad euenta rerum dicit pertinere, quasi hoc suo proprio dicto sine auctoritate alia satis sit nobis factum. Et facit sane nimio satis, quod concesso sensu de euentis rerum, nos plane uicinus secundum ea, quæ proxime diximus, quod cum libertas arbitrij in rebus & operibus nostris nulla est, multo magis nulla est in rebus & operibus diuinis. Sed acumen eius uide, Quomodo est hominis preparare cor, quum Lutherus affirmet omnia necessitate geri? Respondeo, quum euenta rerum non sint in potestate nostra, ut tu dicis, quomodo est hominis res gerere? Quod mihi responde-  
deris, tibi



deris, tibi responsum habe. Imò ideo maxime operan-  
dum est, quia incerta nobis sunt omnia futura, ut Ec-  
clesiastes ait, Mane semina semen tuum & uespere non  
cesses, quia nescis an hoc uel illud sit oriturum. Nobis  
inquam sunt incerta cognitione, sed necessaria euentu.  
Necessitas nobis timorem Dei inculcit, ne presumamus  
& securi simus. Incertitudo uero fiduciam parit, ne  
desperemus. Redit uero ad ueterem suam cantilenam,  
quod in libro Prouerbiorum multa dicuntur pro lib.  
arbi. quale est illud, Reuela Domino opera tua, Au-  
dis (inquit) opera tua? Scilicet, quod multa sint in  
eo libro uerba imperatiua & coniunctiua, item pro-  
nomina secundae personae, his enim fundamentis pro-  
batur libertas arbitrij, ut Reuela, ergo potes reuela-  
re, opera tua, ergo tu facis ea, Sic illud, ego sum Deus  
tuus, intelliges, id est, tu facis me Deum tuum, Fides  
tua te saluum fecit, Audis tua? expone sic, Tu facis fi-  
dein, tum probasti lib. arbitrium. Non hic irrideo,  
sed ostendo Diatribe serium non esse in hac causa.

Illud eodem capite, omnia propter semetipsum  
operatus est Dominus, etiam impium ad diem malum,  
etiam suis uerbis format, excusans Deum, quod nul-  
lam creaturam malam condiderit, quasi de Creatione  
dixerim ego, ac non magis de operatione illa asidua  
Dei in rebus creatis, Qua operatione Deus agit &  
impium, sicut supra de Pharaone diximus. At impium  
condit, non creando malitiam aut malam creaturam,

R quod est



quod est impossibile, sed ex uitato semine, dum operatur Deus, fit uel creatur malus homo, non culpa factoris, sed uitio materie.

Nec illud ex cap. 20. ipsi uidetur urgere, Cor regis in manu Domini, quocumq; uoluerit, inclinat illud. Non statim (ait) cogit, qui inclinat, Quasi nos de coactione loquamur, ac non potius de necessitate immutabilitatis. Ea significatur per inclinationem Dei, que non est res tam stertens & pigra, ut fingit Diatribe, Sed est actuosissima illa operatio Dei, quam uitate & mutare non possit, sed qua tale uelle habet necessario, quale illi Deus dedit & quale rapit suo motu, ut dixi supra. Deinde cum Salomon de corde regis loquatur, putat Diatribe eum locum non recte ad generalem sententiam trahi, sed illud uelle, quod alias Iob dicit, regnare facit Hypocritam propter peccata populi. Tandem concedit inclinari a Deo regem ad malum, sed sic, quod sinat regem agi affectibus, ad castigandum populum. Respondeo, Siue sinat, siue inclinet Deus, ipsum sinere uel inclinare non fit nisi uolente & operante Deo, quia uoluntas regis non potest effugere actionem omnipotentis Dei, quia rapitur omnium uoluntas, ut uelit & faciat, siue sit bona siue mala. Quod uero generalem sententiam fecimus ex particulari uoluntate regis, puto neq; inepte neq; indocte nos fecisse. Si enim cor regis, quod uideatur maxime liberum & alijs dominari, non tamen potest uelle,

*No uult futurus  
ut dicat Deus  
inclinari uoluntate*



est uelle, nisi quo Deus ipsum inclinaret, quanto minus ullus aliorum hominum id potest? Atque ista consequentia non solum ex regis, sed etiam cuiuslibet hominis uoluntate ualeret. Si enim unus homo, quantumlibet priuatus, non potest coram Deo uelle, nisi quo inclinatur Deus, idem de omnibus hominibus dicitur. Sic quod Balaam non potuit loqui, quod uolebat, argumentum est euidentem in scripturis, hominem non esse sui iuris aut operis liberum electorem aut factorem, Alioqui exempla nulla subsisterent in scripturis.

Post hæc cum dixisset testimonia, quæ Lutherus ex eo libro colligit, multa colligi posse, sed quæ comoda interpretatione, tum pro, tum contra liberum arbitrium possent stare, Tandem adducit telum illud Lutheri Achilleum & inuitabile. Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere &c. Laudo & ego Rhetorem liberi arbitrij egregium, qui testimonia scripturæ interpretationibus, ut uisum fuerit, comodis, formare docet, ut uere pro libero arbitrio stent, id est, efficiant, non quod debent, sed quod nobis placuerit. Deinde sic unum fingat sese metuere Achilleum, ut stolidus lector, eo uicto, cætera nimis contempta habeat. Verum ego magniloquam & heroicam Diatriben spectabo, uisurus, quæ uis meum superet Achillem, quæ hactenus nullum gregarium militem, ne Tersitem quidem percusserit, sed suis ipsius telis sese miserissime confecerit. Igitur apprehensa

R z henfa



hensa uocula hac, Nihil, multis uerbis, multisq; exemplis eam iugulat, & comoda interpretatione huc trahit, ut nihil idem possit esse, quod modicum & imperfectum, scilicet, alijs uerbis id differens, quod Sophista haftenus hoc loco sic docuerunt, Sine me nihil potestis facere, scilicet perfecte. Hanc glosam iam dudum exoletam & corrosam, reddit nobis ut Rhetorica nouam, & sic instat, quasi prima eam afferat, nec antea sit unquam audita, uice miraculi nobis eam exhibitura, Interim uero prorsus segura & nihil cogitans de ipso textu, de sequentibus & precedentibus, unde petenda est intelligentia. Taceo illud, quod tot uerbis & exemplis probat uocabulum hoc, Nihil, posse hoc loco accipi pro modico & imperfecto, quasi nos de posse disputemus, cum hoc probandum fuerit, an debeat sic accipi. Ut tota ista magnifica interpretatio nihil efficiat, si quid efficit, quam quod incertus fiat locus iste Iohannis & ambiguus. Nec hoc mirum, cum hoc unice agat Diatribe, ut scripturae Dei sint ubiq; ambiguae, ne illis cogatur uti, auctoritates uero uestrum certa, ut illis liceat abuti, mira sane religione, ut uerba Dei sint inutilia, hominum uerba sint utilia.

Sed hoc pulcherrimum est uidere quam bene sibi ipsi constet, Nihil pro modico accipi potest, Et in eo sensu (inquit) uerissimum est, nos sine Christo nihil posse facere, loquitur enim de fructu Evangelico, qui  
non con-



non contingit nisi manentibus in uite, qui est Christus  
 & c. Hic ipsamet confitetur fructum non contingere,  
 nisi manentibus in uite, & hoc facit in ea ipsa comoda  
 interpretatione, qua probat, nihil, id esse quod modicum  
 & imperfectum. Sed forte & aduerbium Non,  
 oportet etiam comode interpretari, ut significet fructum  
 Euangelicum extra Christum, aliquo modo seu  
 modicum & imperfectum contingere, ut predicemus  
 impios sine Christo, qui regnante Satana in ipsis  
 & contra Christum pugnante, posse aliquid fructuum  
 uite prestare, hoc est, ut hostes Christi pro Christo  
 faciant, Sed mittamus ista. Hic ego doceri uelim modicum,  
 quo Hereticis queat resisti, qui ubiq; in scripturis  
 hac lege usuri, Nihil & Non, pro imperfecto  
 accipere contendunt, ut sine ipso factum est nihil, id  
 est, modicum. Dixit insipiens in corde suo non est  
 Deus, id est, imperfectus est Deus. Ipse fecit nos &  
 non ipsi nos, id est, modicum fecimus nos. Et quis numeret  
 e scripturis locos, ubi Nihil & non ponuntur?  
 An hic dicemus, Comoda interpretatio spectanda est?  
 At nulli Heretico sua non comoda est. Scilicet, hoc est  
 nodos soluere, tantae licentiae fenestram aperire corruptis  
 mentibus & fallacibus spiritibus? Tibi credo, qui sacrae  
 scripturae certitudinem susq; deq; facis, comoda fuerit  
 ea licentia interpretandi, sed nobis qui conscientias  
 stabilire laboramus, nihil incomodius, nihil nocentius,  
 nihil pestilentius hac comodate con-

R 3 tingere



tingere potest. Audi itaq; magna uictrix Achilles Lu-  
therani, nisi tu probaueris, Nihil, hoc loco non solum  
posse, sed etiam debere pro modico accipi, nihil affe-  
ceris tanta copia uerborum & exemplorum, nisi  
quod aridis stipulis aduersus flammam pugnaueris.  
Quid nobis cum tuo posse, a quo exigitur, ut probes,  
debere? Quod nisi effeceris, manemus in naturali &  
grammatica significatione uocabuli, uidentes tam ex-  
ercitus quam triumphos tuos.

*Handwritten:* Vbi nunc manet opinio probabilis, que statuit li-  
berum arbitrium nihil boni uelle posse? Sed forte ue-  
nit tandem hic interpretatio comoda, ut nihil boni,  
significet aliquid boni, inaudita plane & grammatica  
& dialectica, ut nihil sit id, quod aliquid, quod apud  
dialecticos impossibile fuerit, cum sint contradic-  
toria. Vbi manet & illud, quod Satanam credimus prin-  
cipem esse mundi, regnantem, teste Christo & Paulo,  
in uoluntatibus & mentibus hominum sibi captiuis &  
seruientibus? Ille scilicet leo rugiens, hostis implaca-  
bilis & irrequietus gratie Dei & salutis humane,  
sinet fieri, ut homo seruus & pars regni sui conuertatur  
ad bonum ullo motu aut momento, quo suam tyranni-  
dem euadat, ac non potius incitet & urgeat, ut totis  
uiribus contrarium gratie & uelit & faciat? cui ius-  
ti & spiritu Dei agentes uix resistunt & bonum uolunt  
tunt ac faciunt, ita in eos sauit. Tu qui fingis uolunta-  
tem humanam esse rem in medio libero positam ac sibi  
relictam,



vellētā, facile simul fingis, esse conatum uoluntatis  
 in utram partem, quia tam Deum, quā diabolū  
 fingis longe abesse, ueluti solum spectatores mutabilis  
 illius & liberę uoluntatis, impulsores uero & agi-  
 tatores illius seruę uoluntatis, mutuo bellacissimos,  
 non credis. Quo solo credito, satis fortiter stat nostra  
 sententiā, & prostratum iacet liberum arbitrium, ut  
 & supra docuimus. Aut enim regnum Satanae in ho-  
 minibus nihil erit, & sic Christus mentietur, Aut si  
 regnum eius tale est, quale Christus describit, libe-  
 rum arbitrium nihil nisi iumentum captiuum Satanae  
 erit, non liberandum, nisi prius digito Dei eiciatur  
 diabolus. Hinc credo satis intelligis mea Diatribe, quid  
 sit & quantum ualeat, quod author tuus peruicaciam  
 Lutheranae assertionis detestatus, solet dicere, Scili-  
 cet, Lutherum ualde urgere causam scripturis, sed  
 que uno uerbulo dissolui possunt. Quis enim hoc ne-  
 scit, uno uerbulo posse omnes scripturas solui? Pul-  
 chre hoc sciebamus, etiam antequam Erasmi nomen  
 audiremus. Sed hoc queritur, an hoc satis sit, uerbu-  
 lo solui scripturam. An recte soluat, & an sic debe-  
 at solui, hoc disputatur. Huc spectet, & uidebit, quā  
 facile sit scripturas soluere, & quā detestanda sit  
 peruicacia Lutheri. Videbit autem non solum uerbula  
 nihil efficere, sed nec omnes portas inferorum.

Nos igitur, quod Diatribe pro sua affirmatiua non  
 potest, quamuis non debeamus negatiuam probare,

R 4      faciamus



facimus tamen, & extorqueamus uel argumentorum,  
 Nihil, hoc loco non solum posse, sed debere accipi,  
 non pro modico, sed pro eo, quod uocabulum natura  
 significat, faciemus autem hoc ultra illud inuictum ar-  
 gumentum, quo iam uicimus, scilicet, esse uocabula  
 naturali significationis usu seruanda, nisi contrarium  
 fuerit demonstratum, quod Diatribe neq; fecit, neq;  
 potest facere. Extorquemus autem id primum ipsa rei  
 natura, uidelicet, quod scripturis neq; ambiguis neq;  
 obscuris euictum sit, Satanam esse principem longe  
 potentissimum & callidissimum mundi (uti diximus)  
 quo regnante, uoluntas humana iam non libera nec sui  
 iuris, sed serua peccati & Satana, non potest uelle nisi  
 quod princeps ille suus uoluerit. Nihil uero boni ille  
 sinet eam uelle, quamuis etiam si Satanas ei non impe-  
 raret, ipsum peccatum, cuius seruus est homo, satis  
 oneraret, ne bonum uelle posset. Deinde ipsa sermo-  
 nis consequentia idem extorquet, quam Diatribe for-  
 titer contemnit, licet eam satis copiose in assertionibus  
 meis annotassem. Sic enim prosequitur Christus Iohan.  
 15. Qui in me non manserit, mittitur foras sicut pal-  
 mes & arscit & colligunt eum & in ignem mit-  
 tunt & ardet. Hec inquam, Diatribe Rhetoricissime  
 transiuit, sperauitq; transitum hunc esse tam rudibus  
 Lutheranis incomprehensibilem. Vides autem hic  
 Christum ipsum interpretem similitudinis suae de pal-  
 mite & uite, satis aperte declarare, quid uelit intelli-  
 gi per



per uocabulum Nihil, scilicet, quod homo extra  
Christum foras mittitur & arefcit. Quid uero foras  
mitti & arefcere potest aliud significare, quam sub  
diabolum tradi & continenter peiorem fieri? Peio-  
rem autem fieri non est aliquid posse uel conari. Are-  
fcens palmes magis ac magis ad ignem paratur, quo  
magis arefcit. Nisi ipse Christus hanc similitudinem sic  
dilatasset & applicasset, nemo fuisset ausus ita dilata-  
re & applicare. Stat igitur, Nihil, hoc loco, pro-  
prie debere accipi, ut natura fert uocabuli.

Iam & exempla uideamus quibus probat, Nihil,  
alicubi pro modico accipi, ut & in hac parte demon-  
stremus Diatriben esse & efficere nihil, in qua si etiã  
aliquid faceret, tamen nihil efficeret, adeo Diatribe  
per omnia & omnibus modis nihil est. Vulgo (inquit)  
nihil agere dicitur, qui non assequitur id quod expetit,  
& tamen frequenter aliquo usq; promouet, qui co-  
natur. Respondeo, Nunquam audiui uulgo sic dici, tu  
ita singis pro libertate tua. Verba spectanda sunt ( ut  
uocant ) secundum materiam subiectam & ad intenti-  
onem loquentis. Iam nemo illud uocat nihil, quod co-  
natur agens, nec de conatu loquitur, qui de nihilo lo-  
quitur, sed de effectu, hunc enim spectat, qui dicit,  
ille nihil agit uel nihil efficit, id est, non attingit, non  
est affectus. Deinde ut exemplum ualeat, quod ta-  
men non ualet, magis pro nobis facit. Hoc enim est  
quod contundimus & euctum uolumus, quod liberum

R § arbitrium



arbitrium multa agat, quæ tamen sunt nihil coram  
 Deo. Quid profuerit illi conari, si non assequitur  
 quod expetit? ut quoquo se uertat Diatribe, impu-  
 gat & seipsam confutet, ut solet accidere malam agen-  
 tibus causam. Sic & illud exemplum è Paulo infre-  
 liciter adducit, Neq; qui plantat, neq; qui rigat est  
 aliquid, Sed qui incrementum dat Deus. Quod mini-  
 mi (inquit) momenti est & per se inutile, nihil ap-  
 pellat. Quis? Tu Diatribe ministerium uerbi per se  
 se inutile & minimi momenti esse dicitas, quod tan-  
 tis laudibus Paulus, cum ubiq; tum maxime. 2. Cor. 3.  
 uelit, ubi ministracionem uitæ & gloriæ appellat.  
 Iterum neq; materiam subiectam, neq; intentionem lo-  
 quentis consideras. Ad incrementum dandum, plan-  
 tator & rigator nihil est, sed ad plantandum & ri-  
 gandum non nihil est, cum sit opus summum spiritus  
 in Ecclesia Dei, docere & exhortari. Hoc uult Pau-  
 lus, hoc & uerba satis aperte tradunt. Sed esto &  
 hoc exemplum ineptum ualeat, iterum pro nobis  
 idem stabit. Nam hoc agimus, quod liberum arbitriū  
 sit nihil, id est, inutile, per sese, ut tu exponis, coram  
 Deo, nam de hoc genere essendi loquimur, non ignari,  
 quod uoluntas impia sit aliquid & non merum nihil.  
 Item illud. 1. Corin. 13. Si charitatem non habeam,  
 nihil sum. Cur hoc adducat exemplum, non uideo,  
 nisi numerum & copiam quaesierit, aut arma nobis  
 deesse putarit, quibus à nobis ipsa confodiatur. Vere  
 enim &



enim & proprie nihil est coram Deo, qui sine cha-  
 ritate est, Sic & de libe. arbitrio docemus, quare &  
 hoc exemplum pro nobis contra ipsam Diatriben  
 fiat, Nisi forte adhuc Diatribe ignorat, quo loco pug-  
 nemus. Non enim de esse nature loquimur, sed de esse  
 gratie ( ut uocant ) Scimus liberum arbitrium natura  
 aliquid facere, ut comedere, bibere, gignere, rege-  
 re, ne nos delirio illo, uelut argutulo, rideat, quod  
 nec peccare quidem liceret sine Christo, si uocem il-  
 lam, nihil, urgeamus, cum tamen Lutherus donarit  
 lib. arb. ualere nihil, nisi ad peccandum, adeo libuit  
 sapienti Diatribe ineptire etiam in re seria. Dicimus  
 enim, hominem extra gratiam Dei manere nihilomi-  
 nus sub generali omnipotentia Dei facientis, mouentis,  
 rapientis omnia, necessario & infallibili cursu, Sed  
 hoc, quod sic raptus homo facit, esse nihil, id est, ni-  
 hil ualere coram Deo, nec aliud reputari quam pec-  
 catum. Sic in gratia nihil est, qui sine charitate est.  
 Cur igitur Diatribe, cum ipsamet fateatur nos hoc lo-  
 co agere de fructu Euangelico, qui sine Christo non  
 contingit, hic mox extra statum cause diuertit, &  
 alienam cationem orsa, de opere naturali & fructu  
 humano cauillatur? nisi quod nusquam sibi constat,  
 qui ueritate priuatus est. Sic illud Ioh. 3. Non po-  
 test homo quicquam accipere, nisi fuerit ei datum  
 e caelo. Iohannes loquitur de homine, qui utiq; ali-  
 quid iam erat, & hunc negat accipere quicquam,  
 scilicet,



scilicet, spiritum cum donis, de hoc enim loquebatur,  
 non de natura. Nec enim opus illi fuit magistra Dia-  
 tribe quæ illum doceret, hominem habere iam oculos,  
 nares, aures, os, manus, mentem, uoluntatem, ratio-  
 nem & omnia, quæ sunt in homine, Nisi Diatribe cre-  
 dit, Baptistam tam furiosum fuisse, ut cum hominem  
 nominarit, cahos Platonis, aut uacuum Leucippi, aut  
 infinitum Aristotelis aut aliud quoddam nihil cogita-  
 rit, quod dono è cælo aliquid demum fieret, Scilicet,  
 hoc est exempla è scripturis proferre, sic in re tanta  
 de industria ludere. Quorsum igitur illa copia at-  
 net, quod ignem, fugam mali, nisum ad bona & reliqua  
 è cælo esse nos docet, quasi hæc ullus ignoret aut ne-  
 get? Nos de gratia, & ut ipsa dixit, de Christo & fra-  
 ctu Euangelico loquimur, ipsa uero de natura interim  
 fabulata tempus redimit & causam trahit, rudiq; lecto-  
 ri nubem offundit. Sed interim, non solum non pro-  
 fert ullum exemplum, ubi, nihil, pro modico accipie-  
 tur, sicut instituit, uerum etiam aperte prodit sese ni-  
 hil intelligere aut curare, quid sit Christus aut gratia,  
 aut quomodo aliud sit gratia quam natura, quod tametsi  
 etiam rudissimi Sophistæ nouerunt & usu uulgatissi-  
 mo hoc discrimen in suis scholis detriuerunt, Simulq;  
 nihil uidet, quod sua exempla, omnia pro nobis con-  
 tra ipsam faciant. Hoc enim facit uerbum Baptistæ,  
 quod homo nihil potest accipere, nisi donatum fuerit  
 è cælo, ut liberum arbitrium nihil sit. Sic uincitur



meus Achilles, cū ei per Diatriben arma porriguntur  
quo ipsa nuda & imbellis conficitur. Sic uno uerbulo  
scripturæ soluuntur, quibus urget Lutherus peruicax  
ille assertor.

Post hæc multas enumerat similitudines, quibus  
nihil facit, nisi ut more suo ad aliena rapiat stultum  
lectorem, causæ interim prorsus oblita. Vt Deus nau-  
tem quidem seruat, sed nauita tamen ducit ad portum,  
quare non nihil agit nauita. Diuersum opus, scilicet  
Deo seruandi, nauitæ ducendi tribuit ista similitudo.  
Deinde si quid probat, id probat, quod Dei sit totum  
opus seruandi, Nauitæ totum opus ducendi, Et tamen  
est pulchra & apta similitudo. Sic agricola conuehit  
prouentus, Deus autem dedit, iterum diuersa opera  
Deo & homini, nisi agricolam simul creatorem facit,  
qui dederit prouentus. Sed dentur adhuc eadem ope-  
ra Deo & homini, quid efficiunt istæ similitudines?  
nihil, nisi quod Creatura Deo operanti cooperatur.  
At nunquid nos de cooperatione nunc disputamus, ac  
non potius de propria ui & operatione liberi arbi-  
trij? Quo igitur Rhetor ille fugit, qui dicturus de  
Palma, nihil dicit nisi de cucurbita? Amphora cœpit  
institui, cur urceus exit? Scimus & nos, quod Pau-  
lus cooperatur Deo in docendis Corinthijs, dum foris  
predicat ipse, & intus docet Deus, etiam in diuerso  
opere, Similiter & Deo cooperatur, cum loquitur  
in spiritu Dei, idq; in eodem opere. Hoc enim nos asse-  
rimus &



de unum  
hanc

rimus & contendimus, quod Deus cum citra gratiam  
spiritus operatur, omnia in omnibus, etiam in impijs,  
operatur, Dum omnia, quae condidit solus, solus quoque  
mouet, agit & rapit omnipotentiae suae motu, quem  
illa non possunt uitare nec mutare, sed necessario se-  
quuntur & parent, quodlibet pro modo suae uirtutis,  
sibi à Deo datae, sic omnia etiam impia illi cooperan-  
tur. Deinde ubi spiritu gratiae agit in illis, quos ius-  
tificauit, hoc est, in regno suo, similiter eos agit  
& mouet, & illi, ut sunt noua creatura, sequun-  
tur & cooperantur, uel potius, ut Paulus ait, aguntur.  
Sed ijs nunc non erat locus, Non disputamus,  
quid operante Deo possimus, sed quid nos possi-  
mus, uidelicet, an iam creati ex nihilo, aliquid nos  
facimus uel conemur illo generali motu omnipoten-  
tiae, ut paremur ad nouam creaturam spiritus, Hic  
respondendum erat, non aliò diuertendum. Hic enim  
nos sic respondemus, Sicut homo, antequam crea-  
tur, ut sit homo, nihil facit aut conatur, quo fiat crea-  
tura. Deinde factus & creatus nihil facit aut con-  
natur, quo perseueret creatura, Sed utrunque fit so-  
la uoluntate omnipotentis uirtutis & bonitatis Dei,  
nos sine nobis creatis & conseruantis, sed non ope-  
ratur in nobis, sine nobis, ut quos ad hoc creauit &  
seruauit, ut in nobis operaretur, & nos ei coopera-  
remur, siue hoc fiat extra regnum suum generali  
omnipotentia, siue intra regnum suum singulari uir-  
tute spiritus



hinc spiritus sui. Sic deinceps dicimus, Homo an-  
 tequam renouetur in nouam creaturam regni spiritus,  
 nihil facit, nihil conatur, quo pareatur ad eam reno-  
 uationem & regnum. Deinde recreatus, nihil facit,  
 nihil conatur, quo perseueret in eo regno, Sed utrum-  
 que facit solus spiritus in nobis, nos sine nobis recreans  
 & conseruans recreatos, ut & Iacobus dicit, Volun-  
 tate genuit nos uerbo uirtutis suae, ut essemus initium  
 creaturae eius, loquitur de renouata creatura. Sed  
 non operatur sine nobis, ut quos in hoc ipsum recrea-  
 uit & conseruat, ut operaretur in nobis & nos ei co-  
 operaremur, Sic per nos praedicat, miseretur paupe-  
 ribus, consolatur afflictos. Verum quid hinc libero  
 arbitrio tribuitur? imò quid ei relinquitur, nisi ni-  
 hil? & uere nihil.

Lege igitur hic Diatriben per quinque uel sex car-  
 tas, ubi istiusmodi similitudinibus, tum pulcherrimis  
 locis & parabolis ex Euangelio & Paulo adductis,  
 aliud nihil agit, quam quod nos docet, in scripturis  
 inueniri loca (ut ait) innumerabilia, quae cooperatio-  
 nem & auxilia Dei tradant. Ex quibus, si tunc ego  
 colligam, Homo nihil potest nisi auxiliante Dei gratia,  
 igitur nulla sunt opera hominis bona, ipsa contra sic  
 colligit, inuersione Rhetorica, imò (inquit) Homo  
 nihil non potest auxiliante Dei gratia, igitur omnia  
 opera hominis possunt esse bona, Quot igitur sunt  
 loca in scripturis diuinis, quae meminerunt auxilij,  
 tot sunt,



tot sunt, quæ statuunt liberum arbitrium, at ea sunt  
 innumerabilia, itaq; uicero, si res æstimetur testimo-  
 niorum numero, hæc illa. Satin sobrian Diatriben  
 putas aut mente sana fuisse, cum hæc scriberet? Nam  
 malitiæ & nequitia eius non tribuam, nisi tadio fore  
 perpetuo me uoluerit enecare, dum ubiq; similis sit,  
 semper alia tractat quàm instituit. Sed si illam dele-  
 tavit ineptire in re tanta, deletet & nos ineptias eius  
 uoluntarias publice traducere. Primum nos neq; dis-  
 sputamus neq; ignoramus, omnia opera hominis posse  
 esse bona, si fiant auxiliante Dei gratia. Deinde homi-  
 nem nihil non posse auxiliante Dei gratia. Tuam uerum  
 non satis possumus admirari negligentiam, qui cum de  
 liberi arbitrij ui instituisset scribere, scribis de ui gra-  
 tiæ Dei. Deinde ac si omnes homines essem trunci &  
 lapides, audes in publico dicere, liberum arbitrium  
 statui per loca scripturæ, quæ auxilium gratiæ Dei  
 commendant, nec solum hoc audes, sed & encomion  
 cantas uictor, triumphatorq; gloriosissimus. Nunc  
 uere scio, ex hoc ipso dicto & facto tuo, quid sit &  
 ualeat liberum arbitrium, scilicet, insanire. Quid  
 esse potest quæso in te, quod sic loquitur, nisi ipsum  
 liberum arbitrium? Audi tamen tuas consequentias,  
 Scriptura commendat gratiam Dei, ergo probat libe-  
 rum arbitrium. Commendat auxilium gratiæ Dei, ergo  
 statuit liberum arbitrium. Qua dialectica didicisti  
 has collectiones? Cur non contra, Gratia prædicatur,

ergo



ergo liberum arbitrium tollitur, Auxilium gratiæ  
 commendatur, ergo liberum arbitrium destruitur?  
 Ad quid enim confertur gratia? An ad hoc, ut super-  
 bia liberi arbitrij per sese satis robusti, gratia uelut  
 superfluo ornamento diebus bachanalibus gestiat & lu-  
 dat? Quare & ego inuertam collectionem, licet non  
 Rhetor, firmiori tamen Rhetorica quam tu. Quot-  
 quot sunt loca in scripturis diuinis, quæ meminerunt  
 auxiliij, tot sunt, quæ tollunt liberum arbitrium. Atq;  
 ea sunt innumerabilia. Itaq; uicero, si res aestimetur  
 testimoniorum numero, nam ideo gratia opus est, ideo  
 auxilium gratiæ confertur, quod liberum arbitrium  
 per sese nihil possit, & ut ipsamet dixit opinione illa  
 probabili, non possit uelle bonum. Commendata itaq;  
 gratia, & prædicato auxilio gratiæ, simul impotentia  
 liberi arbitrij prædicatur. Hæc est sana collectio &  
 rata consequentia, quam nec inferorum portæ sub-  
 uertent.

Hic finem ponemus defendendis nostris à Diatribe  
 confutatis, ne liber crescat in immodicum, cætera si  
 quæ digna sunt, inter asserenda nostra tractabuntur.  
 Nam quod Erasmus in Epilogo repetit, si nostra stet  
 sententia, frustra esse tot præcepta, tot minas, tot pro-  
 missiones, nec meritis, nec demeritis, nec præmijs,  
 nec supplicijs locum relinqui, Deinde difficile esse,  
 ut misericordia imò iustitia Dei defendatur, si Deus  
 necessario peccantes damnet, & alia incomoda, quæ

S sequuntur,



sequuntur, quæ summos viros ita mouerunt, ut & subuerterunt. De his omnibus reddidimus superius rationem, Nec patimur neq; recipimus mediocritatem illam, quam nobis consulit bono, ut credo, animo, scilicet, ut libero arbitrio perpussillum concedamus, quo facilius pugnantiæ scripturæ & incomoda prædicta tollantur, Nam ista mediocritate nihil est causæ consultum, neq; quicquam profectum, Nisi enim totum & omnia libero arbitrio tribueris, exemplo Pelagianorum, manet nihilominus scripturæ pugnantiæ, tollitur meritum & præmium, tollitur misericordia & iustitia Dei, & omnia manent incomoda, quæ uitate uolumus per liberi arbitrij modiculam & inefficacem uim, ut satis supra docuimus. Ideo ad extremum eundem est, ut totum negetur liberum arbitrium, & omnia ad Deum referantur, sic non pugnabunt scripturæ, & incomoda si non tolluntur, feruntur.

Hoc autem deprecor, Mi Erasme, ne credas me causam hanc studio magis quam iudicio agere, Non patior me insimulari eius hypocrisis, ut aliter sentiam & aliter scribam, nec defensionis calore (ut tu scribis de me) huc prouectus sum, ut nunc primum negem totum liberum, qui antea non nihil illi tribuerim, Nec hoc tu usquam mihi in libellis meis ostendes, scio. Extant themata & problemata, in quibus perpetuo asserui usq; in hanc horam, liberum arbitrium esse nihil & rem (eo uerbo tum utebar) de solo titulo. Veritate uita



tate uictus & disputatione prouocatus ac compulsus,  
 sic sensi & scripsi. Quod autem uehementius egerim,  
 agnosco culpam, si culpa est, imò testimonium hoc  
 mihi in mundo reddi in causa Dei, mirifice gaudeo.  
 Atque utinam & ipse Deus id testimonij in nouissimo  
 die confirmaret. Quis enim tum beatorum Luthero,  
 qui tanto sui seculi testimonio commendatur, quod  
 ueritatis causam non segniter, nec fraudulentè, sed  
 uehementer satis uel potius nimio egerit? Tum illud  
 Hieremie foeliciter euaserim, maledictus qui facit  
 opus Domini negligenter. Si uero & in tuam Dia-  
 triben acerbior uidebor, ignosces mihi, Neque enim  
 id maligno animo facio, sed mouit, quod autoritate  
 tua causam hanc Christi uehementer premebas, licet  
 eruditione & re ipsa nihil prestares. Iam quis sic  
 imperet stilo ubiq;, ut non alicubi ferueat? Tu qui  
 pro modestie studio penè friges in hoc libro, tamen  
 non raro ignita & amarulenta tela iacularis, ut nisi  
 lector multum æquus ac fauens sit, uirulentus uidea-  
 ris. Sed hæc nihil ad causam, quæ inuicem libenter  
 condonare debemus, ut sumus homines & humani  
 alienum in nobis nihil est.

Ad ultimam huius libri partem uenimus, quæ  
 ut promisimus, copias nostras producere debe-  
 mus, contra liberum arbitrium, Sed eas non pro-  
 ducemus omnes, quis enim hoc effecerit paruo  
 libello cum uniuersa scriptura à nobis stet per  
 singulos



singulos apices & literas? Nec est opus, tum quod  
 iam uictum ac postratum sit liberum arbitrium du-  
 plici uictoria, altera, ubi omnia contra ipsum stare  
 probamus, quæ pro se facere putabat, altera ubi in-  
 uicta adhuc permanere ostendimus, quæ confutare  
 uoluit, Tum etiam si uictum nondum esset, satis fuerit  
 effectum, si uno aut altero telo prosternatur. Quid  
 enim opus est hostem uno aliquo telo occisum, multis  
 alijs telis confodere mortuum? Breuius itaq; si res  
 passa fuerit, nunc agemus. Atq; e tanto numero ex-  
 ercituum, duos proferemus duces cum aliquot suis le-  
 gionibus, Paulum uidelicet & Iohannem Euangeli-  
 stam. Paulus ad Romanos scribens, sic ingreditur di-  
 sputationem aduersus liberum arbitrium pro gratia  
 Dei. Reuelatur (inquit) ira Dei de cælo super om-  
 nem impietatem & iniustitiam hominum, qui uerita-  
 tem Dei in iniustitia detinent. Audis hic generalem sen-  
 tentiam super omnes homines, quod sint sub ira Dei,  
 hoc quid est aliud, quæ in esse ira & supplicio dignos?  
 Causam iræ assignat, quod gerant non nisi ira & sup-  
 plicio digna, nempe quod impij & iniusti sint omnes  
 & ueritatem detineant in iniustitia. Vbi nunc uis libe-  
 ri arbitrij, quæ conetur aliquid boni? Paulus id facit  
 ira Dei dignum, & impium & iniustum decernit,  
 quod uero iram meretur & impium est, id contra  
 gratiam conatur & ualet, non pro gratia.

Ridebitur hic oscitantia Lutheri, qui Paulum non  
 satis in-



satis inspexerit, dicetq; aliquis, Paulum ibi non de omnibus hominibus, nec de omnibus eorum studijs, sed de ijs tantum loqui, qui sunt impij & iniusti, atq; ut uerba habent, de ijs, qui ueritatem in iniustitia detinent. Hinc non sequi, quod omnes sint eiusmodi. Hic ego dico, apud Paulum idem ualere, si dixeris, super omnem impietatem hominum, atq; si dixeris, super impietatem omnium hominum, Ebraicatur enim Paulus fere ubiq;, ut sit sensus, Omnes homines sunt impij & iniusti, detinentq; ueritatem in iniustitia, ideo omnes sunt ira digni. Deinde in græco non ponitur relatiuum, eorum qui, sed articulus, hoc modo, Reuelatur ira Dei super impietatem & iniustitiam hominum detinentium ueritatem in iniustitia, ut hoc uelut Epitheton sit omnium hominum, quod ueritatem in iniustitia detinent, sicut Epitheton est cum dicitur, Pater noster, qui es in cœlis, quod sic alias diceretur, Pater noster cœlestis uel in cœlis. Dicitur enim ad differentiam eorum, qui credunt & pij sunt. Sed friuola & uana sint hæc, nisi ipsa disputatio Pauli ea cogat & euincat, Paulo enim ante dixerat, Euangelion uirtus Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Hic non sunt obscura aut ambigua uerba, Iudæis & Græcis, id est, omnibus hominibus est necessarium Euangelion uirtutis Dei, ut credentes salui fiant ab ira reuelata. Obsecro, qui Iudæos, iustitia, lege Dei & uilib. arb. pollentes, sine discrimine ua-



euos & gentes predicat uirtute Dei, qua salui fiunt  
 ab ira reuelata & necessariam eam uirtutem illis facit,  
 an non sub ira eos esse censet? Quos iam dabis homi-  
 nes non obnoxios irae Dei, quando summos homines  
 mundi, puta Iudeos & Graecos tales esse credere co-  
 geris? Deinde quos inter ipsos Iudeos & Graecos  
 excipies, quando Paulus sine ullo discrimine, omnes  
 uno uerbo complexos, omnes eidem sententiae subij-  
 cit? An putandum est, in istis duabus praestantissimis  
 nationibus non fuisse homines, qui ad honesta niteren-  
 tur? an non conati sunt ulli pro uiribus lib. arbitri.?  
 Sed nihil hoc Paulus moratur, omnes sub ira mittit, om-  
 nes impios & iniustos predicat. Ita & reliquos Apo-  
 stolos nonne simili sermone & oēs gentes alias, quemli-  
 bet in sorte sua, sub iram hanc coniecisse credendum est?  
 Forāter itaq; stat & urget hic locus Pauli, libe-  
 rum arbitrium seu praestantissimum in hominibus,  
 quamuis praestantissimis, lege, iustitia, sapientia &  
 omnibus uirtutibus praeditis, esse impium, iniustum &  
 ira Dei dignum. Alioqui disputatio Pauli nihil ualet.  
 Si autem ualet, nullum relinquit medium partitio sua,  
 qua credentibus Euangelio, salutem, ceteris omnibus  
 iram distribuit, Credentes iustos, non credentes facit  
 impios, iniustos & irae subiectos. Tantum enim uult  
 dicere, iustitia Dei reuelatur in Euangelio, quod sit  
 ex fide, Ergo omnes homines sunt impij & iniusti.  
 Stultus esset enim Deus, qui hominibus iustitiam reuela-  
 ret, quam



ret, quam iam uel nossent uel cuius semina haberent. Cum autem stultus non sit, & tamen reuelat illis iustitiam salutis, manifestum est, liberum arbi. etiam in summis hominibus non solum non habere uel posse aliquid, sed ne nosse quidem, quid sit iustum coram Deo, nisi forte iustitia Dei non reuelatur summis illis hominibus, sed solum infimis, contra quam Paulus gloriatur, quod sit debitor Iudæis & Græcis, sapientibus & insipientibus, barbaris & Græcis. Quare Paulus hoc loco prorsus omnes homines una massa comprehendens, concludit omnes esse impios, iniustos & ignaros iustitiae & fidei, tantum abest, ut aliquid boni uelle aut facere possint. Et hæc conclusio firma est ex eo, quod Deus illis, ut ignaris & in tenebris sedentibus, reuelat iustitiam salutis, ergo per sese ignoram. Ignorantes autem iustitiam salutis, certe sub ira & damnatione sunt, nec inde sese, propter ignorantiam euoluere possunt, aut conari ut euoluantur. Quid enim coneris, si nescieris, quid, qua, quo, aut quatenus conandum sit?

Consentit cum hac conclusione res ipsa & experientia. Nam ostende mihi in uniuerso genere mortalium unum, sit ille omnium sanctissimus & iustissimus, cui unquam in mentem uenerit, hanc esse uiam ad iustitiam & ad salutem, scilicet, credere in eum, qui sit simul Deus & homo, pro peccatis hominum mortuus & suscitatus & collocatus ad dexteram patris, aut somniarit hanc iram Dei, quam

S 4 Paulus



Paulus hic reuelari de caelo dicit. Vide Philosophos summos, quid de Deo senserint, quid de futura ira scriptum reliquerint. Vide Iudaeos, tot signis, tot Prophetis, assidue eruditos, quid de hac uia sentiant, non modo non receperunt, sed ita oderunt, ut nulla natio sub caelo atrocius sit Christum persecuta usque in hodiernum diem. At in tanto populo dicere non fuisse aliquem unum, qui liberum arbitrium coluerit & cui eius conatus fuerit, quis audeat dicere? Qui sit igitur, ut omnes in diuersum conentur, & id quod praestantissimum fuit in praestantissimis hominibus hanc rationem iustitiae non solum non coluerit, non solum ignorarit, sed etiam publicatam & reuelatam summo odio repulerit & perditam uoluerit? Ita ut Paulus .i. Corin. .i. Dicat eam uiam esse scandalum Iudaeis & stultitiam Gentibus. Cum autem Iudaeos & Gentes sine discrimine appellet, & Iudaeos ac gentes praecipuos populos sub caelo esse certum sit, simul certum est, Liberum arbitrium esse nihil aliud quam summum hostem iustitiae & salutis humanae, cum fieri non potuerit, quin aliquot inter Iudaeos & Gentes summa uoluntati liberi arbitrii egerint & conati sint, & tamen eo ipso non nisi bellum contra gratiam gesserint. Tu nunc uade & dic, quod liberum arbitrium conetur ad bonum, cui ipsa bonitas & iustitia, scandalum & stultitia sunt. Nec potes dicere, haec ad aliquos non ad omnes pertinere, Paulus sine discrimine loquitur de omnibus



nibus cum dicit, Gentibus stultitia & Iudeis scanda-  
 lum, nec ullos excipit, nisi credentes. Nobis (inquit)  
 illud est, uocatis & sanctis, est uirtus & sapientia Dei.  
 Non dicit, Aliquibus gentibus, aliquibus Iudeis, sed  
 simpliciter, gentibus & Iudeis (inquit) qui non sunt  
 ex nobis, manifesta partitione separans credentes ab  
 incredulis, nullo relicto medio. Nos autem disputa-  
 mus de gentibus citra gratiam agentibus, his dicit Pau-  
 lus iustitiam Dei esse stultitiam, quam abhorrent. Atque  
 is est ille laudabilis conatus lib. arb. ad bonum.

Deinde uide, an non summos homines inter Græ-  
 cos ipsemet adducat, ubi dicit, eos infatuatos esse &  
 cor eorum obscuratum, qui sapientiores inter eos fu-  
 erunt, item uanos factos dialogismis suis, hoc est, suis  
 argutis disputationibus. Obsecro an hic non tangit  
 summum illud & præstantissimum in Græcis homini-  
 bus, dum eorum Dialogismos tangit? Hij enim sunt  
 eorum summæ & optimæ cogitationes & opiniones,  
 quas pro solida sapientia habuerunt. At hanc sapien-  
 tiam, ut alibi stultam, ita hic uanam esse in illis dicit,  
 & eo progressam multa conando, ut peior fieret, &  
 tandem corde obscurato idola colerent & sequentia  
 monstra patrarent, quæ commemorat. Si igitur opti-  
 mum studium & opus in optimis gentium, malum &  
 impium est, quid de reliquo uulgo, uelut peioribus  
 gentibus sentias? Neque enim & hic discrimen inter  
 optimos facit, dum nullo personarum respectu, studi-



um sapientia eorum damnat. Damnato autem ipso opere uel studio, damnantur quicumque illi studuerint, etiam si fecerint summa uel liberi arbitrij. Ipse inquam optimus conatus eorum uitiosus asseritur, quam o magis ij, qui illo exercentur? Sic & mox Iudeos sine ullo discrimine reijcit, qui litera & non spiritu Iudei sunt. Tu (inquit) per litteram & circumcisionem Deum inhonoras. Item, Non enim is Iudeus est, qui in manifesto Iudeus est, sed qui in occulto Iudeus est. Quid hac partitione manifestius? Iudeus manifestus est transgressor legis. At quantos putas fuisse Iudeos citra fidem uiros sapientissimos, religiosissimos, honestissimos, qui summo conatu ad iustitiam & ueritatem conuerti sunt? sicut illis testimonium sepe perhibet, quod Zelum Dei habent, quod iustitiam legis sectentur, quod diu noctant, studeant ad salutem uenire, quod sine querela uiuam, Et tamen transgressores sunt legis, quia non sunt in spiritu Iudei, imò pertinaciter resistunt iustitie fidei. Quid igitur reliquum est, quamlibet arbitrii dum optimum est, pessimum esse, & quo magis conatur, hoc peius fieri & habere? Clara sunt uerba, certa est partitio, non est quod contradici queat.

Sed ipsummet Paulum sui interpretem audiamus, Capite tertio, uelut Epilogum faciens, dicit. Quid ergo? precellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus, Iudeos & Græcos omnes sub peccato esse. Vbi nunc liberum arbitrium? Omnes (inquit) Iudei & Græci



peccati sub peccato sunt. An hic tropi sunt aut nodi?  
 quod ualeat interpretatio totius mundi aduersus hanc  
 sententiam? Neminem excipit, qui dicit  
 Nihil relinquit boni, qui eos sub peccato esse,  
 seruos peccati, definit. Vbi autem hanc causam  
 quod omnes Iudaei & Gentes sint sub peccato?  
 quam nisi ubi nos monstrauius, scilicet, quando  
 Reuelatur ira Dei de caelo super omnem impie-  
 tatem & iniquitatem hominum. Et id sequenter probat  
 experientiam, quod ingrati Deo, tot uicis sub-  
 iecti fuerint, uelut fructibus impietatis suae conuicti,  
 quod nihil nisi malum uelint & faciant, Tum Iudaeos  
 per sum iudicat, cum Iudaeum litera transgressorem  
 dicit, idque similiter fructibus & experientia pro-  
 bat, dicens, Tu praedicas non furandum & furaris.  
 qui abominaris idola, sacrilegium facis. Nullos pro-  
 excipiens, nisi sint spiritu Iudaei. Nec est quod hic  
 fugias ac dicas, licet sub peccato sint, tamen optimis  
 rebus, ut ratio & uoluntas, habet conatum ad bonum.  
 enim conatus reliquus est bonus, falsum est quod  
 sub peccato esse dicit, Cum enim Iudaeos & Gentes  
 comprehendit, simul comprehendit, quicquid in Gentibus  
 Iudaeis est, nisi Paulum inuersurus, uelis ita scrip-  
 se, Omnium Iudaeorum & Gentium caro (id est)  
 uisiores affectus sub peccato esse. Sed ira de caelo  
 reuelata super eos, totos est damnatura, nisi spiritu iu-  
 stificentur, quod non fieret, nisi toti essent sub peccato.

Videa



Videamus uero, quomodo Paulus suam sententiam ex sacris literis probet, an fortius pugnent uerba in Paulo, quam in loco suo. Sicut scriptum est (inquit) Quia non est iustus quisquam, Non est intelligens, non est requirens Deum, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, & reliqua. Hic mihi det interpretationem comodam, qui potest, fingat tropos, causetur uerba esse ambigua & obscura, & defendat liberum arbitrium aduersus has damnationes, qui audeat. Tuum ego libens cedam & recantabo, eroque & ipsi liberum arbitrij confessor & assertor. Certum est, hac dici de omnibus hominibus, Propheta enim inducit Deum prospicientem super omnes homines, & ferentem super eos hanc sententiam. Sic enim dicit Psal. 13. Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut uideret, non sit intelligens, aut requirens Deum, Sed omnes declinauerunt & c. Et ne Iudaei putarent ad sese non pertinere, praue nit Paulus, asserens ad eos maxime pertinere, Scimus (inquit) quaecumque lex loquitur, uis, qui in lege sunt, loquitur. Hoc idem uoluit ubi dixit, Iudeo primum & Graeco. Audis igitur omnes filios hominum, omnes qui sunt in lege, id est, tam Graecos quam Iudeos, coram Deo, tales iudicari, qui inuisi sunt, non intelligunt, nec requirant Deum, ne unus quidem, Omnes uero declinent & inutiles sint. Arbitror autem inter filios hominum, ac eos qui sub lege sunt,



numerari etiam eos, qui sunt optimi & honesti-  
 qui ui liberi arbitrij conantur ad honesta & ad  
 bonum, & quos iactat Diatribe habere sensum &  
 uiam honesta insita, nisi angelorum forte filios esse  
 contendat.

Quomodo igitur conantur ad bonum, qui omnes in  
 uersum ignorant Deum, nec curant aut requirunt  
 Deum? Quomodo habent uim utilem ad bonum, qui  
 omnes declinant a bono & sunt prorsus inutiles? An  
 ignoramus, quid significet ignorare Deum, non intel-  
 ligere, non requirere Deum, non timere Deum, de-  
 clinare & inutiles esse? Nonne uerba clarissima sunt,  
 & id docent, quod omnes homines, & nesciunt De-  
 um & contemunt Deum, Deinde declinant ad ma-  
 lum & sunt inutiles ad bonum? Neq; enim hic agitur  
 de ignorantia querendi uictus aut de contemptu pe-  
 cunie, sed de ignorantia & contemptu religionis &  
 pietatis. At ea ignorantia & contemptus, procul du-  
 bio non sunt in carne & inferioribus, crassioribusq;  
 affectibus, sed in summis illis & prestantissimis uiri-  
 bus hominum, in quibus regnare debet, iustitia, pie-  
 tas, cognitio & reuerentia Dei, nempe in ratione &  
 uoluntate, atq; adeo in ipsa ui liberi arbitrij, in ipso  
 semine honesti, seu prestantissimo quod est in homine.  
 Vbi nunc es, mea Diatribe, que superius promitte-  
 bas, te assensuram libenter, prestantissimum in homine  
 esse carnem, id est, impium, si id scripturis probare-  
 tur? Assen-



tur? Assentire nunc igitur, cum audis præstantissimum  
 in omnibus hominibus, non solum impium, sed igno-  
 rum Dei, contemnens Dei, uersum ad malum & in-  
 utile ad bonum esse. Quid est enim esse iniustum, nisi  
 uoluntatem (quæ est præstantissimarum rerum uolun-  
 tatem) esse iniustam? Quid est esse non intelligentem Dei  
 boni, nisi rationem (quæ est præstantissimarum rerum  
 altera) esse ignaram Dei & boni, hoc est, cecam  
 cognitione pietatis? Quid est declinare & in malum  
 esse, nisi homines nulla sui parte, tum minime partem  
 suis præstantissimis ualere quicquam ad bonum, sed  
 tantum ad malum? Quid est non timere Deum, nisi  
 homines omnibus suis partibus, maxime potioribus  
 illis, esse contemptores Dei? Esse autem contemptores  
 res Dei, est esse simul contemptores omnium rerum  
 Dei, puta uerborum, operum, legum, præcepto-  
 rum, uoluntatis Dei. Quid nunc ratio dicitur reus,  
 quæ cæca est & ignara? Quid uoluntas eligit bonum,  
 quæ mala & inutilis est? imò quid sequatur uoluntas,  
 cui ratio nihil dicitur, nisi cæcitate & ignorantia hæret  
 tenebras? Errante igitur ratione & auersa uoluntate,  
 quid boni facere queat homo aut conari?

Sed Sophisticari forte quis audeat, licet uolun-  
 tatis declinet & ratio ignoret actu, potest tamen uolun-  
 tatis aliquid conari & ratio aliquid nosse suis uirtu-  
 bus, cum multa possimus, quæ tamen non facimus, De-  
 ui potentie scilicet, non de actu disputamus. Res  
 respondet,



respondeo, Verba prophetae includunt & actum &  
 potentiam, Et idem est dicere, Homo non requirit  
 Deum, ac si dicas, Homo non potest requirere De-  
 um. Quod inde colliges, Quia si esset potentia aut uis  
 in homine boni uolendi, cum per omnipotentiae di-  
 uinae motum non sinatur quiescere aut feriari, ut su-  
 pra docuimus, fieri non posset, quin in aliquot uel  
 saltem in uno aliquo moueretur & usu aliquo osten-  
 deretur. At hoc non fit, quia Deus de caelo prospici-  
 cit, & ne unum quidem uidet, qui requirat aut co-  
 netur, Quare sequitur, eam uim nusquam esse, quae  
 conetur aut uelit requirere, Sed omnes declinant po-  
 titus. Deinde nisi de impotentia simul intelligeretur  
 Paulus, Disputatio sua nihil efficeret. Quia in hoc  
 totus incumbit Paulus, ut gratiam necessariam faciat  
 cunctis hominibus. Si autem per sese aliquid possent  
 incipere, gratia non foret opus. Nunc autem, quia non  
 possunt, opus est illis gratia. Ita uides liberum arbitriū  
 hoc loco funditus tolli, nec quicquid boni aut honesti in  
 homine relinqui, dum iniustus, ignarus Dei, contemp-  
 tor Dei, auersus & inutilis coram Deo definitur. Et  
 satis fortiter pugnat Propheta tam suo loco, quam in  
 Paulo eum allegante. Nec parua res est, cum dicitur ho-  
 mo ignorare & contemnere Deum, fontes sunt hi om-  
 nium scelerum, sentina peccatorum, imò infernus ma-  
 lorū. Quid ibi non sit mali, ubi ignorantia & contemp-  
 tus Dei fuerit? Breuiter, regnū Satanae in hominibus,  
 nec breuiter



nec breuioribus nec plenioribus uerbis potuit describi, quam quod eos diceret, ignaros & contemptores Dei, ibi est incredulitas, ibi inobedientia, ibi sacrilegia, ibi blasphemia erga Deum, ibi crudelitas & immiserordia erga proximum, ibi amor sui in omnibus rebus Dei & hominum. Sic habes gloriam & potentiam liberi arbitrij.

Pergit uero Paulus & sese de omnibus hominibus & maxime de optimis & prestantissimis loqui testatur dicens, Ut obstruatur omnium os, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Quia ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo. Obsecro, quomodo obstruitur os omnium, si reliqua est adhuc uis, qua aliquid possumus? Licebit enim Deo dicere, Non profusus nihil hic est, Est aliquid, quod non queas damnare, ut quod dederis tu ipse aliquid posse, Hoc saltem non silebit, nec erit obnoxium tibi. Si enim libe. arb. uis illa sana est & ualet, falsum est, quod totus mundus Deo obnoxius seu reus est, cum illa uis non sit parua res aut in parua parte mundi, sed in toto mundo, prestantissima & communissima, cui os obstrui non debet, aut si obstrui os eius debet, oportet, ut cum toto mundo obnoxium Deo sit & reum. Reum uero quo iure dicetur, nisi iniustum & impium, hoc est, pœna & uindicta dignum fuerit? Videam, queso, qua interpretatione uis illa hominis absoluitur a reatu, quo totus mundus Deo est obstrictus, aut qua arte excipitur, ne



tur, ne in toto mundo comprehendatur. Grandia sunt tonitrua & penetrantia fulmina, uereq; malleus ille conterens petram (ut Ieremias uocat) ista uerba Pauli, Omnes declinauerunt, Totus mundus est reus, Non est iustus quisquam, quibus conteritur quicquid est, non modo in uno homine, aut aliquibus, aut aliqua eorum parte, sed etiam in toto mundo, in omnibus, nullo prorsus excepto, ut mundus totus ad eas uoces tremere, pauere & fugere debuerit. Quid enim grandius & fortius potuit dici, quam totus mundus est reus, omnes filij hominum sunt auersi & inutiles, nullus timet Deum, nullus est non iniustus, nullus intelligit, nullus requirit Deum? Nihilominus tanta fuit & est duritia & insensata cordis nostri obstinatio, ut haec tonitrua & fulmina neq; audiremus neq; sentiremus, Sed liberum arbitrium & uires eius interim simul aduersus haec omnia extolleremus & statueremus, ut uere illud impleuerimus Malachiae primo, Illi aedificant, ego destruo.

Eadem grandiloquentia dicitur & illud, Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo. Grande uerbum est, Ex operibus legis, quemadmodum & illud, Totus mundus, aut illud, Omnes filij hominum. Nam obseruandum est, quod Paulus personis abstinet, & studia memorat, scilicet, ut inuoluat omnes personas & quicquid prestantissimum in illis est. Nam si dixisset, uulgus Iudaeorum, aut Pharisei, aut aliquot  
 T impij



impij non iustificatur, poterat uideri aliquos fecisse  
 reliquos, qui ui lib. arb. & adminiculo legis, non  
 prorsus essent inutiles. At cum ipsa legis opera dam-  
 net & impia faciat coram Deo, manifestum fit, quod  
 omnes, qui studio legis & operum pollebant, dam-  
 nat. Studebant autem legi & operibus, non nisi opti-  
 mi & prestantissimi, idq; non nisi optimis & pre-  
 stantissimis sui partibus, ratione scilicet & uoluntate.  
 Si igitur ij, qui summo studio & conatu, tum rationis  
 tum uoluntatis, id est, tota ui liberi arbitrij, in lege &  
 operibus exercebantur, tum ipsa lege, ceu diuino au-  
 xilio adiuuabantur, qua erudiebantur & excitabantur,  
 si, inquam, ij damnantur impietatis, quod non iustifi-  
 centur, sed caro esse definiuntur coram Deo, Quid  
 iam reliquum est in toto hominum genere, quod non  
 raro & impium sit? Omnes enim ex equo damnantur,  
 qui sunt ex operibus legis, siue enim summo studio,  
 siue mediocri, siue nullo, in lege exerciti sunt, nihil  
 refert. Omnes non nisi opera legis, prestare potue-  
 runt, Opera autem legis non iustificat, Si non iustifi-  
 cant, impios arguunt & relinquunt suos operatores,  
 Impij uero rei & ira Dei digni sunt. Hæc sunt tam  
 clara, ut ne mutire contra quisquam possit.

At solent hic eludere Paulum & euadere, quod  
 opera legis uocet ceremonialia opera, quæ post mor-  
 tem Christi sunt mortifera. Respondeo, Hic est error  
 ille & ignorantia Hieronymi, cui licet Augustinus  
 foriter



fortiter restiterit, tamen deserente Deo & praevalente  
 Satana, dimanavit, in mundum & permansit in hodi-  
 erum diem. Quo & factum est, ut impossibile fue-  
 rit Paulum intelligere, & Christi notitiam oportuerit  
 obscurari. Atque si nullus praeterea fuisset error in Ec-  
 clesia, iste unus satis pestilens & potens fuit ad uastan-  
 dum Euangelion, quo, nisi singularis gratia intercessit,  
 infernum potius quam caelum Hieronymus meruit,  
 tantum abest, ut ipsum Canonizare aut sanctum esse,  
 audeam dicere. Non est uerum igitur, Paulum de ce-  
 remonialibus operibus tantum loqui, alioqui quomo-  
 do stabit sua disputatio, qua concludit omnes esse iniu-  
 stos & gratia indigere? Diceret enim aliquis, Esto  
 ex ceremonialibus operibus non iustificemur, At ex  
 moralibus Decalogi quis iustificari posset, Quare tuo  
 syllogismo illis non probasti necessariam gratiam.  
 Tum quam utilis fuerit illa gratia, quae solum a cere-  
 monialibus operibus nos liberarit, quae sunt facilima  
 omnium, & saltem metu uel amore sui possunt extor-  
 queri. Iam & illud erroneum est, opera ceremonia-  
 lia esse mortifera & illicita post mortem Christi, Non  
 hoc dixit unquam Paulus, Sed dicit, quod non iustifi-  
 cent & homini nihil prosint coram Deo, quo ab im-  
 pietate liber fiat. Cuius bene stat, ut ea quispiam faciat,  
 & nihil illicitum tamen faciat, Sicut edere & bibere  
 opera sunt, quae non iustificanti & Deo nos non com-  
 mendant, at non ideo illicitum facit, qui edit & bibit.

T z Errane



Errant & in hoc, quod opera ceremonialia aequae  
 erant praecepta & exacta in ueteri lege atq; Decalogus,  
 Et ideo haec neq; minus, neq; magis ualebant quam  
 illa. Iudeis autem primum loquitur Paulus, ut dicitur  
 Rom. i. Quare nemo dubitet, per opera legis intelligi  
 omnia opera totius legis. Nam ne legis quidem opera  
 dicenda sunt, si lex abrogata & mortifera est, lex  
 enim abrogata, iam lex non est, Id quod pulchre sciebat  
 Paulus, ideo non de abrogata lege dicit, cum opera  
 legis memorat, sed de lege ualente & regnante.  
 Alioqui quam fuisset illi facile dicere, Lex ipsa iam  
 est abrogata? Id quod fuisset aperte & clare dictum.  
 Sed afferamus ipsummet Paulum, sui interpretem opti-  
 mum, qui in Galatis .3. dicit. Quicumq; ex operibus  
 legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim,  
 Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus,  
 quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Vides hic  
 Paulum, ubi eandem causam, quam ad Romanos, &  
 eisdem uerbis agit, de omnibus legibus in libro legis  
 scriptis loqui, quoties opera legis memorat. Et quod  
 mirabilius est, ipse citat Moysen, qui maledicat non  
 permanentes in lege, cum tamen maledictos praedicet,  
 qui sunt ex operibus legis, contrarium locum contra-  
 riae sententiae adducens, cum ille negatiuus, hic affir-  
 matiuus sit. Sed hoc facit, quod res ita habet coram  
 Deo, ut qui maxime student operibus legis, minus  
 legem implent, eo quod spiritu carent, legis consum-  
 mato,



matore, quam uiribus suis tentare quidem possint, sed nihil efficiant. Ita utrumq; uerum est, quod iuxta Mo-  
sen maledicti sint, qui non permanent, & iuxta Pau-  
lum maledicti sint, qui sunt ex operibus legis, utraq;  
enim spiritum exigit, sine quo, opera legis, quantum-  
libet fiant, non iustificant, ut Paulus dicit, quare nec  
permanent in omnibus, quæ scripta sunt, ut Moses  
dicit.

Summa, Paulus partitione sua satis confirmat, hoc  
quod dicimus, Diuidit enim homines operadores legis  
in duo, alios facit spiritu operadores, alios carne ope-  
radores, nullo relicto medio, Sic enim dicit, Non iu-  
stificabitur ulla Caro ex operibus legis. Quid est hoc  
aliud, quam illos sine spiritu operari in lege, cum sint  
caro, id est, impij & ignari Dei, quibus ea opera ni-  
hil prosint. Sic Gala. 3. eadem partitione usus, dicit,  
Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fi-  
dei? Et rursus Rom. 3. Nunc sine lege manifestata est  
iustitia Dei. Et iterum, Arbitramur hominem iustifi-  
cari ex fide sine operibus legis. Quibus omnibus per-  
spicuum & clarum fit, apud Paulum opponi spiritum  
operibus legis, non aliter quam omnibus alijs rebus  
non spiritualibus uniuersisq; carnis uiribus & nomi-  
nibus, ut sententiam Pauli hanc esse certum sit, cum  
Christo Iohan. 3. Omne quod non est ex spiritu, car-  
nem esse, sit etiam quantumuis speciosum, sanctum,  
prestant, atq; adeo ipsamet opera legis diuina pul-  
cherrima,



cherrima, quibuscumq; tandem uiribus expressa. Spira  
 ritu enim Christi opus est, sine quo nihil sunt omnia,  
 nisi damnabilia. Ratum itaq; esto, Paulum per opera  
 legis non ceremonialia, sed omnia totius legis opera  
 intelligere. Ratū simul erit, In operibus legis damnari  
 quicquid est sine spiritu. At sine spiritu est uis illa liberi  
 arbitrij, de hac enim disputamus, praestantissimum, Sci-  
 licet, in homine. Esse enim ex operibus legis, est id,  
 quo nihil excellentius de homine potest dici, Non enim  
 dicit, qui sunt ex peccatis & impietate contra legem,  
 sed qui ex operibus legis, hoc est, optimi & studiosi  
 legis, qui ultra uim libe. arbitrij, etiam lege adiuti, hoc  
 est, eruditi & excitati fuerunt. Si igitur liberum arb.  
 per legem adiutum & in lege summis uiribus uersa-  
 tū, nihil prodest neq; iustificat, sed in impietate & car-  
 ne relinquitur, quid posse putandū est se solo sine lege?  
 Per legem ( inquit ) cognitio peccati. Ostendit hic,  
 quantum & quatenus profit lex. Scilicet, quod libe.  
 arb. se solo adeo caecum sit, ut ne norit quidem pecca-  
 tum, sed lege doctrice opus illi sit. At qui peccatum  
 ignorat, quid ille conetur pro peccato auferendo?  
 Hoc scilicet, quod peccatum pro non peccato, & non  
 peccatum pro peccato iudicabit. Id quod experientia  
 satis declarat, quā odiat & persequatur mundus,  
 per eos, quos optimos & studiosissimos habet iustitiae  
 & pietatis, iustitiam Dei, Euangelio predicatam, &  
 haeresim, errorem, ac pessimis alijs nominibus infamat,  
 sua uero



sua uero opera & consilia, quæ uere peccatum & error sunt, pro iustitia & sapientia iactet & uendit. Obstruit igitur hac uoce Paulus os libero arbitrio, dum per legem illi peccatum ostendi docet, ceu ignaro peccati sui, tantum abest, ut ullam ei uim concedat conandi ad bonum. Atq; hic soluitur illa quaestio Diatribes, toties toto libello repetita, Si nihil possumus, quid faciunt tot leges, tot praecepta, tot minae, tot promissiones? Respondet hic Paulus, per legem cognitio peccati. Longe aliter respondet ad eam quaestionem, quam homo, aut liberum arbitrium cogitat. Non (ait) probatur liberum arbitrium per legem, Non cooperatur ad iustitiam, Non enim per legem iustitia, sed cognitio peccati. Is enim est fructus, id opus, id officium legis, quod ignaris & caecis lux est, sed talis lux, quæ ostendat morbum, peccatum, malum, mortem, infernum, iram Dei, Sed non iuuat, nec liberat ab istis, Ostendisse contenta est. Tum homo cognito morbo peccati, tristatur, affligitur, imò desperat. Lex non iuuat, multo minus ipse se iuuare potest. Alia uero luce opus est, quæ ostendat remedium, Hac est uox Euangelij ostendens Christum liberatorem ab istis omnibus. Hunc non ostendit ratio aut liberum arbitrium, Et quomodo ostenderet, cum ipsamet sit ipsa tenebra, indigens luce legis, quæ ostendat ei morbum, quem per suam lucem non uidet, sed sanitatem esse credit?

T 4 Sic &



Sic & in Galatis eandem questionem tractat dicens, Quid igitur lex? Respondet uero non Diatribes modo, quod arguat esse liberum arbitrium, Sed sic dicit, Propter transgressiones posita est, donec ueniret semen, cui promiserat. Propter transgressiones (inquit) non quidem coercendas, ut Hieronymus somniat, cum Paulus disputet hoc semini futuro promissum, ut peccata tollat & coerceat, donata iustitia, Sed propter transgressiones augendas, ut ad Romanos .s. dicit, Lex subintravit, ut abundaret peccatum. Non quod non fierent aut non abundarent peccata sine lege, sed quod non cognoscerentur esse transgressiones, aut peccata tam grandia, sed plurima & maxima pro iustitia haberentur. Ignotis autem peccatis, nullus est remedij locus, neque spes, eo quod non firant manum medentis, ut quae sibi sana uidentur, neque egere medico. Ideo necessaria est lex, quae notificet peccatum, ut nequitia & magnitudine eius cognita, humilietur superbus & sanus sibi uisus homo, & gratiam suspiret & anhelet, in Christo propositam. Vide ergo, quam simplex oratio, Per legem cognitio peccati, & tamen sola satis potens liberum arbitrium confundere & subuertere. Si enim hoc uerum est, quod se solo nescit, quid sit peccatum & malum, ut & hic & Romano. septimo dicit, Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupisces, Quomodo unquam sciet, quid sit iustitia & bonum?



bonum? Ignorata iustitia, quomodo conetur ad eam? Peccatum in quo nati sumus, in quo uiuimus, mouet & sumus, imò quod in nobis uiuit, mouet & regnat, ignoramus, Et quomodo iustitiam, quæ extra nos in cælo regnat, nosceremus? Nimis nimis nihil faciunt hæc dicta miserum illud liberum arbitrium.

His sic habentibus, pronunciat Paulus cum plena fiducia & autoritate dicens, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestatur, testificata à lege & Prophetis. Iustitia, inquam, Dei per fidem in Iesum Christum, in omnes & super omnes qui credunt in eum, Non est enim distinctio, Omnes enim peccauerunt & uacant gloria Dei, Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius, & cætera. Hic Paulus mera fulmina loquitur aduersus libe. arbi. Primum, Iustitia Dei sine lege (inquit) manifestatur, Secernit iustitiam Dei à legis iustitia. Quia iustitia fidei uenit ex gratia sine lege. Hoc quod dicit, Sine lege, aliud nihil esse potest, quàm quod iustitia Christiana constet sine operibus legis, sic quod opera legis nihil pro ea ualeant aut faciant obtinenda, Sicut mox infra dicit, Nos arbitramur hominem iustificari per fidem absq; operibus legis. Et ut supra dixit, Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram illo. Ex quibus omnibus manifestissimum est, Conatum aut studium liberi arbitrij nihil esse prorsus.

T 5 Quia si



Quia si sine lege & sine operibus legis iustitia Dei constat, quomodo non multo magis sine libe. arbitrio constet? Cum id sit summum studium liberi arbitrij, si iustitia morali seu operibus legis exerceatur, quae ipsius cecitas & impotentia iuuatur. Tollit haec vox (Sine) opera moraliter bona, tollit iustitiam moralem, tollit preparationes ad gratiam, denique si quicquid poteris, quod ualeat liberum arbitrium, perstabit Paulus & dicet, Sine tali constat iustitia Dei. Atque ut dem liberum arbitrium per conatum suum aliquod posse promoueri, uidelicet, ad opera bona, uel ad iustitiam legis ciuilibus uel moralis, Ad iustitiam Dei tamen non promouetur, nec ullo respectu dignatur eius studia Deus ad suam iustitiam, dum dicit, Sine lege suam iustitiam ualere. Si uero ad iustitiam Dei non promouet, quid profuerit illi, si operibus & conatibus suis promoueret (si possit fieri) etiam ad angelorum sanctimoniam? Arbitror hic non esse uerba obscura uel ambigua nec tropis ullis locum relinqui. Quia distinguit Paulus manifeste duas iustitias, alteram legis, alteram gratiae tribuens. Et haec sine illa & absque operibus eius donari, illam uero sine hac non iustificare nec quicquam ualere. Videam igitur, quomodo liberum arbitrium aduersus haec subsistere & defendi queat.

Alterum fulmen, quod iustitiam Dei manifestari & ualere dicit, in omnes & super omnes, qui credunt in



dunt in Christum, Neq; ullam esse distinctionem. Ita-  
 ram clarissimis uerbis uniuersum genus hominum in  
 duo diuidit, Credentibus dat iustitiam Dei, non cre-  
 dentibus aufert. Iam nemo tam insanus est, qui dubi-  
 tet, liberi arbitrij uim aut conatum aliud quippiam  
 esse, quam fidem in Iesum Christum. At Paulus, quic-  
 quid extra fidem hanc est, negat esse iustum coram  
 Deo. Si iustum non fuerit coram Deo, peccatum esse  
 necesse est. Neq; enim apud Deum relinquatur medi-  
 um, inter iustitiam & peccatum, quod uelut neutrum  
 sit, quasi nec iustitia nec peccatum. Alioqui disputatio  
 tota Pauli nihil efficeret, quae procedit ex partitione  
 illa, aut iustitiam, aut peccatū esse apud Deum, quic-  
 quid in hominibus fit & geritur. Iustitiam, si fides  
 asit, Peccatum, si fides desit. Apud homines sane ita  
 habet res, ut media & neutralia sint, in quibus homi-  
 nes inuicem neq; debent quicquam, neq; prestans  
 quicquam. In Deum peccat impius, siue edat siue  
 bibat, aut quicquid fecerit, quia abutitur creatura Dei  
 cum impietate & ingratitude perpetua, nec ex ani-  
 mo dat gloriam Deo ullo momento.

Est & hoc non leue fulmen quod dicit, Omnes  
 peccauerunt, & uacant gloria Dei, Nec ulla est di-  
 stinctio. Obsecro quid clarius dici possit? Da ope-  
 rarium liberi arbitrij, & responde, an conatu il-  
 lo suo etiam peccet. Si non peccat, Cur Paulus eum  
 non excipit, sed inuoluit sine distinctione? Certe,  
 qui



qui omnes dicit, neminem ullo loco, ullo tempore,  
 ullo opere, ullo studio, excipit. Si enim ullius studij  
 aut operis hominem exceperis, falsum Paulam fece-  
 ris, Quia & operator & conator ille liberi arbitrij,  
 etiam inter omnes & in omnibus numeratur, & cum  
 reuereri debuerat Paulus, ne tam libere & generaliter  
 inter peccatores numeraret. Sic & illud quod eos  
 gloria Dei inanes dicit. Gloriam Dei hic possis bispi-  
 riam accipere, actiue & passiue, Hoc facit Paulus  
 suis Ebrais, quibus crebro utitur. Actiue gloria  
 Dei est, qua ipse in nobis gloriatur. Passiue, qua nos  
 in Deo gloriamur. Mihi tamen passiue accipi debere  
 nunc uidetur, ut fides Christi, latine sonat, quam Chris-  
 tus habet, sed Ebrais fides Christi intelligitur, que  
 in Christum habetur, Sic iustitia Dei, latine dicitur,  
 quam Deus habet, sed Ebrais intelligitur, que ex Deo  
 & coram Deo habetur. Ita gloriam Dei non latine,  
 sed Ebraice accipimus, que in Deo & coram Deo  
 habetur, & gloria in Deo dici posset. Gloriatur igitur  
 in Deo, qui certo scit, Deum esse sibi fauentem &  
 dignantem sese respectu beneuolo, ut placeant coram  
 eo, que facit, aut condonentur & tolerantur, que  
 non placent. Si igitur liberi arbitrij conatus aut studij  
 um non est peccatum, sed bonum coram Deo, certe  
 potest gloriari & cum fiducia in ea gloria dicere, hoc  
 placet Deo, huic fauet Deus, hoc dignatur & accepta-  
 rat, uel saltem tolerat, & ignoscit Deus. Hec est enim  
 gloria



gloria fidelium in Deo, quam qui non habent, potius confunduntur coram Deo. Sed hoc negat hic Paulus, dicens, quod hac gloria sint prorsus inanes. Et hoc probat etiam experientia, interroga mihi omnes in uniuersum liberi arbitrij Conatores, si unum poteris ostendere, qui serio & ex animo de ullo suo studio & conatu queat dicere, Hoc scio placere Deo, uictus uolo palmam concedere. Sed scio, quod nullus reperietur. Si autem defuerit hæc gloria, ut conscientia nõ audeat certo scire aut confidere, hoc placere Deo, certum est, quod non placet Deo. Quia sicut credit, sic habet, non enim credit sese certo placere, quod tamen necessarium est, cum hoc ipsum sit incredulitatis crimen, dubitare de fauore Dei, qui sibi uult quã certissima fide credi, quod faueat. Ita teste ipsamet conscientia eorum conuincimus, quod liberum arbitrium, cum uacet gloria Dei, sit incredulitatis crimine perpetuo reum, cum omnibus uiribus, studijs, conatibus suis.

Quid uero liberi arbitrij tutores dicent tandem ad illud, quod sequitur, Iustificati gratis per gratiam ipsius? Quid est hoc gratis? Quid est per gratiam ipsius? Quomodo conatus & meritum conueniunt cum gratuita & donata iustitia? Forte hic dicent, sese libero arbitrio quã minimum tribuere, nequaquam meritum condignum. Sed hæc sunt uerba inania. Hoc enim queritur per liberum arbitrium, ut meritis locussit,



cus sit. Sic enim perpetuo e. usata Diatribe exposita  
 lauit, Si non est libertas arbitrij, ubi est meritis lo-  
 cus? Si meritis non est locus, ubi premijs locus est?  
 Cui imputabitur, si quis iustificetur sine meritis? Re-  
 spondet hic Paulus, nullum esse meritum proفسus, sed  
 gratis iustificari omnes quotquot iustificantur, nec  
 hoc ulli imputari, nisi gratia Dei. Donata autem ius-  
 titia, donatum est simul regnum & uita eterna. Ubi  
 nunc conatus? ubi studium? ubi opera? ubi merita  
 liberi arbitrij? quis eorum usus? Obscuritatem &  
 ambiguitatem caussari non pots, res & uerba sunt  
 clarissima & simplicissima. Esto enim, quod libero  
 arbitrio quam minimum tribuant, nihilominus iusti-  
 tiam & gratiam eo minimo consequi nos posse docent,  
 Neq; enim ratione alia questionem illam dissoluant,  
 Cur Deus hunc iustificet & illum deserat, quam sta-  
 tuendo liberum arbitrium, scilicet, quod hic conatus  
 sit, ille non sit conatus, Et Deus hunc propter cona-  
 tum respiciat, illum uero contemnat, ne sit iniustus, si  
 fecus fecerit. Et quamuis lingua & calamo preterea-  
 ant, sese condigno merito gratiam non consequi, nec  
 ipsum appellant meritum condignum, tamen uocabu-  
 lo nos ludunt & rem nihilominus tenent. Quid enim  
 excuset, quod meritum condignum non appellent, &  
 tamen omnia ei tribuant, quæ sunt meriti condigni?  
 nempe, quod hic apud Deum gratiam consequitur, qui  
 conatur, ille uero, qui non conatur, non consequitur,



Nonne hoc est plane meritū condignū? Nonne Deum  
 respectorem operum, meritorum & personarum faciunt?  
 Scilicet, quod ille sua culpa gratia caret, quia  
 non est conatus, hic uero quia conatus est, gratiam  
 consequitur, non consecuturus, nisi conatus fuisset. Si  
 hoc non est meritū condignum, uelim doceri, quid  
 tantū meritum condignum dici possit? Hoc modo lude-  
 re posses in omnibus uerbis & dicere, Meritum con-  
 dignū quidem non est, efficit tamen quod meritum con-  
 dignū solet. Spina non est arbor mala, sed efficit solū,  
 quod arbor mala. Ficus arbor bona non est, sed efficit  
 quod arbor bona solet. Diatribe quidem non est im-  
 pius, sed loquitur & facit solum quod impius.

Accidit istis liberi arbitrij tutoribus id, quod dici-  
 tur, Incidit in Scyllam dum uult uitare Charybdim.  
 Nam studio Pelagianis dissentiendi, negare cœperunt  
 meritum condignum, & eo ipso quo negant, fortius  
 statuunt, uerbo & calamo negant, re ipsa & animo  
 statuunt, Dupliciq; nomine Pelagianis sunt peiores.  
 Primum, quod Pelagiani simpliciter, candide & in-  
 genue confitentur & asserunt meritum condignum,  
 appellantes scapham scapham, ficum ficum, docen-  
 tesque quod sentiunt. Nostri uero, idem cum senti-  
 ant, & doceant, mendacibus tamen uerbis & falsa  
 specie nos ludunt, quasi Pelagianis dissentiant,  
 cum nihil faciant minus, ut si hypocrisim spectes,  
 uideamur Pelagianis acerrimi hostes, si rem &  
 animam



animum spectes, sinus bis Pelagiani. Deinde quod  
 hac hypocrisis gratiam Dei longe uilius & estimamus  
 & emimus, quam Pelagiani. Hi enim non esse aliquod  
 pusillum in nobis asserunt, quo gratiam consequamur,  
 sed tota, plena, perfecta, magna & multa esse studia  
 & opera. Nostri uero, minimum & fere nihil esse,  
 quo gratiam meremur. Si igitur errandum est, hono-  
 stius illi errant & minus superbe, qui gratiam Dei  
 magno constare dicunt, charam & preciosam habentes,  
 quam ij qui paruo & pusillo eam constare do-  
 cent, uilem & contemptibilem habentes. Sed Paulus  
 utrosq; in unam massam contundit, uno uerbo, cum  
 dicit, gratis omnes iustificari, Item sine lege, sine ope-  
 ribus legis iustificari. Qui enim gratuitam iustificati-  
 onem in omnibus iustificandis asserit, is nullos reli-  
 quos facit, qui operentur, mereantur, preparentur,  
 nullumq; opus relinquit, quod congruum uel condige-  
 num dici possit, coneritq; uno fulminis huius ictu,  
 tam Pelagianos cum suo toto merito, quam Sophistas  
 cum suo pusillo merito. Gratuita iustificatio non fert,  
 ut operarios statuas, quod manifeste pugnet, gratiam  
 donari & aliquo opere parari, Deinde per gratiam  
 iustificari, non fert, ut personae ullius dignitatem affe-  
 ras, ut & infra. ii. cap. dicit. Si ex gratia, ergo non  
 ex operibus, alioqui gratia non est gratia. Sicut &  
 cap. 4. dicit, Ei enim qui operatur, merces imputa-  
 tur, non secundum gratiam, sed secundum debitum.

Quare



Quare stat meus Paulus liberi arbitrij uastator in-  
 uictus, & uno uerbo duos exercitus prostermit. Nam  
 si sine operibus iustificamur, omnia opera damnan-  
 tur, siue sint pusilla, siue magna, nulla enim excipit,  
 sed aduersus omnia ex aequo fulminat.

Et hic uide oscitantiam omnium nostrum, & quid  
 inuet, si quis priscis patribus tot seculorum serie pro-  
 batis, nixus fuerit. Nonne & ipsi omnes pariter ce-  
 cutierunt, imò neglexerunt Pauli clarissima & aper-  
 tissima uerba? Obsecro, quid potest pro gratia con-  
 tra liberum arbitrium clare & aperte dici, si Pauli  
 sermo clarus & apertus non est? Per contentionem  
 procedit, & gratiam aduersus opera iactat, tum uer-  
 bis clarissimis & simplicissimis usus, dicit, Gratis nos  
 iustificari, & gratiam non esse gratiam, si operibus  
 paretur, manifestissime in re iustificationis, omnia ope-  
 ra excludens, ut solam gratiam statuatur & gratuitam  
 iustificationem. Et nos in hac luce adhuc tenebras que-  
 rimus, & ubi non possumus magna & omnia nobis  
 tribuere, pusilla & modica nobis tribuere conamur,  
 tantum ut obtineamus, non esse gratuitam & sine ope-  
 ribus iustificationem per gratiam Dei, Scilicet, quasi  
 is, qui maiora & omnia nobis denegat, non multo ma-  
 gis etiam pusilla & modica denegat ad iustificationem  
 nobis suppetere, cum non nisi per gratiam ipsius, sine  
 omnibus operibus, atq; adeo sine ipsa lege, in qua sunt  
 omnia opera comprehensa, magna, modica, congrua,

V & con-



Et condigna, nos iustificari statuit. In nunc et auctoritates ueterum iacta et dictis eorum fide, quos omnes in unum uides neglexisse Paulum clarissimum et manifestissimum doctorem, ac uelut studio luciferum, imò solem hunc fugisse, occupati, scilicet, carnali sensu, quod absurdum uideretur esse, nullum locum relinqui meritis.

Afferamus exemplum illud, quod sequenter Paulus affert de Abraham. Si Abraham (inquit) ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Obserua quæso et hic partitionem Pauli, duplicem Abrahæ iustitiam recitantis. Vna est operum, id est, moralis et ciuilis, sed hac negat eum iustificari coram Deo, etiam si coram hominibus per illam iustus sit. Deinde gloriam habet apud homines, sed uacat ipse quoque gloria Dei, per eam iustitiam. Nec est, quod ullus hic legis aut ceremoniarum opera damnari dicat, cum Abraham tot annis ante legem fuerit. Paulus simpliciter de operibus Abrahæ loquitur, ijsque non nisi optimis. Ridelicet enim esset disputare, an quis malis operibus iustificetur. Si igitur Abraham nullis operibus iustus est, sed nisi alia iustitia, puta fidei, induatur, tam ipse, quam opera sua cuncta sub impietate relinquuntur. Palam est, nullum hominem quicquam promouere ad iustitiam suis operibus, Deinde nulla opera, nulla studia, nullos

conatus



conatus liberi arbitrij coram Deo quicquam ualere,  
 Sed omnia impia, iniusta & mala iudicari. Si enim ip=  
 se iustus non est, nec opera aut studia eius iusta sunt. Si  
 iusta non sunt, damnabilia & ira digna sunt. Altera  
 est fidei iustitia, quæ constat non operibus ullis, sed  
 fauente & reputante Deo per gratiam. Ac uide, quo=  
 modo Paulus nitatur uerbo reputandi, ut urgeat, re=  
 petat & inculcet. Ei (inquit) qui operatur, merces  
 non reputatur secundum gratiam, sed secundum de=  
 bitum, Ei uero, qui non operatur, credit uero in eum,  
 qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustiti=  
 an, secundum propositum gratiæ Dei. Tum adducit  
 Dauid itidem de reputatione gratiæ dicentem, Beatus  
 uir cui non imputauit Dominus peccatum &c. Penè  
 decies eo capitu. repetit uerbum reputandi. Breui=  
 ter, Paulus componit operantem & non operantem,  
 nec relinquit medium inter hos duos, operanti repu=  
 tari iustitiam negat. Non operanti uero asserit repu=  
 tari iustitiam, modo credat. Non est, quo hic liberum  
 arbitrium euadat aut elabatur cum suo conatu aut stu=  
 dio. Aut enim cum operante, aut cum non operante  
 numerabitur. Si cum operante, audis hic ei non repu=  
 tari ullam iustitiam, Si cum non operante, qui credit  
 tamen Deo, reputatur ei iustitia. At tum non liberi ar=  
 bitrij us erit, sed renouata creatura per fidem. Si autē  
 non reputatur iustitia operanti, manifestum fit eius  
 opera nihil nisi peccata, mala & impia esse corā Deo.

V z Nec po=



Nec potest hic proteruire ullus Sophista, quod licet homo sit malus, possit tamen opus eius esse non malum. Nam ideo Paulus apprehendit non hominem simpliciter, sed operantem, ut apertissimo uerbo declararet, ipsa opera & studia hominis damnari, quaecumq; illa sint, & quocumq; nomine aut specie censeantur. Agit autem de bonis operibus, quia de iustificando & merendo disputat. Et cum de operante loquatur, uniuersaliter de omnibus operantibus & de omnibus operibus eorum, potissimum uero de bonis & honestis operibus loquitur, Alioqui partitio sua de operante & non operante non consisteret.

Prætereo hic fortissima illa argumenta ex proposito gratiæ, ex promissione, ex uel legis, ex peccato originali, ex electione Dei assumpta, quorum nullum est, quod non se solo funditus collat liberum arbitrium. Si enim gratia ex proposito seu prædestinatione uenit, necessitate uenit, non studio aut conatu nostro, ut supra docuimus. Item, Si Deus gratiam promissit ante legem, ut hic & in Galatis Paulus arguit, ergo non ex operibus aut lege uenit, alioqui promissio nihil erit. Ita & fides nihil erit (qua tamen Abraham ante legem iustificatus est) si opera ualent. Item, cum lex sit uirtus peccati, ostendens tantum, non autem tollens peccatum, facit conscientiam ream coram Deo, & iram minatur, hoc est, quod dicit, Lex iram operatur, Quomodo igitur fieri posset, ut per legem iustitia pa-



na paretur? Si autem lege non iuuamur, quomodo ui  
 sola arbitrij iuuari possumus? Item, cum unius Ada  
 unico delicto omnes sub peccato & damnatione su=  
 mus, quomodo possumus aliquid tentare, quod non  
 peccatum & damnabile sit? Quum enim dicat, Om=  
 nes, neminem excipit, nec uim liberi arbitrij, nec ul=  
 lum operarium, operetur siue non operetur, conetur  
 siue non conetur, inter omnes necessario comprehen=  
 detur cum alijs. Nec nos peccaremus aut damnaremur  
 delicto illo unico Ada, nisi nostrum delictum esset,  
 Quis enim alieno delicto damnaretur, praesertim co=  
 rari Deo? Nostrum autem non fit imitando aut ope=  
 rando, cum hoc non esse posset delictum illud unicum  
 Ada, ut quod non ipse, sed nos fecerimus, fit uero no=  
 strum nascendo. Sed de hac re disputandum alias. Igi=  
 tur ipsum originale peccatum, liberum arbitrium  
 prorsus nihil sinit posse, nisi peccare & damnari. Ista  
 inquam argumenta praetereo, quod sint apertissima  
 & robustissima, tum quod nonnihil superius de his  
 diximus. Quod si omnia, quae liberum arbitrium sub=  
 uertunt, recensere uellemus in solo Paulo, nihil meli=  
 us faceremus, quam ut perpetuo commentario totum  
 Paulum tractaremus, & in singulis penè uerbis mon=  
 straremus confutatam liberi arbitrij uim adeo iacta=  
 tam, quemadmodum iam feci in hoc tertio & quarto  
 capite, quae ideo potissimum tractaui, ut oscitantiam  
 omnium nostrum ostenderem, qui Paulum sic legimus,  
 V 3 ut nihil



ut nihil minus in his clarissimis locis uideremus, quam hæc ualidissima argumenta contra liberum arbitrium, & confidentiam illam autoritate & scriptis uetrum doctorum nitentem, facerem stultam, simulq; cogitandum relinquerem, quid factura sint argumenta illa apertissima, si cum diligentia & iudicio tractarentur.

Ego de me dico, uehementer admiror, quod cum Paulus toties utatur uocabulis illis uniuersalibus, Omnes, Nullus, Non, Nusquam, Sine, ut, Omnes declinauerunt. Non est iustus quisquam. Non est qui faciat bonum, nec unus quidem. Omnes unius delicto peccatores & damnati sunt. Fide sine lege, sine operibus iustificamur, ut si aliter quispiam uelit, non posset tam clarius & apertius loqui, miror, inquam, qui factum sit, ut aduersus has uniuersales uoces & sententias, præualuerint contrariæ, imò contradictoriæ, scilicet, Aliqui sunt non declinantes, non iniusti, non mali, non peccatores, non damnati, Est aliquid in homine quod bonum est & ad bonum nititur, quasi ille quisquis fuerit homo, qui ad bonum nititur, non sit comprehensus in uoce ista, Omnes, Nullus, Non. Ego non haberem, etiam si uellem, quod Paulo opponerem aut responderem, Sed cogerer uim mei liberi arbitrij una cum suo conatu, complecti inter omnes & nullos illos, de quibus Paulus loquitur, nisi noua grammatica, aut nouus usus loquendi introdu-

catur.



edatur. Ac tropum forte suspicari & uerba excerpta torquere liceret, si semel aut uno loco uteretur tali nota, At nunc perpetuo utitur, tum simul affirmatiuis & negatiuis, & sententiam per contentionem & partitionem utrobique; uniuersalium partium sic tractat, ut non modo uocum natura & ipsa oratio, sed & consequentia, precedentia, circumstantia, intentioq; & corpus ipsum totius disputationis sensum communem concludant, Paulum uelle, quod extra fidem Christi, nihil nisi peccatum & damnatio sit. Atq; hoc modo nos confuturos esse promissimus liberum arbitrium, ut non queant resistere omnes aduersarij, Id quod arbitror me fecisse, etiam si non concedant uicti in nostram sententiam aut taceant. Nam hoc nostræ non est opis, Spiritus Dei hoc donum est.

Sed antequam Iohannem Euangelistam audiamus, coronidem Paulinam adijciamus, parati ubi hæc non satis fuerint, totum Paulum perpetuo commentario in liberum arbitrium instruere. Rom. 8. ubi genus humanum in duo diuidit, in carnem & spiritum, Sicut & Christus facit Iohan. 3. sic dicit, Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, Qui uero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sapiunt. Quod Paulus hic carnales uocet omnes, qui non sunt spirituales, manifestum est, tum ex ipsa partitione & oppositione spiritus & carnis, tum ex ipsiusmet Pauli uerbis, ubi sequitur, Vos in carne non estis, sed

V 4 in spiritu



in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in uobis, si quis  
 autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.  
 Quid enim aliud hic uult, Vos non estis in carne, si  
 spiritus Dei in uobis est, quam necessario in carne eos  
 esse, qui spiritum non habent? Et qui Christi non est,  
 cuius alius quam Satanae est? Stat igitur, qui spiritum  
 carent, hos in carne & sub Satana esse. Iam uideamus,  
 quid sentiat de conatu & ui liberi arbitrij carnalium,  
 Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.  
 Et iterum, Sensus carnis est mors. Et iterum, Sensus  
 carnis est inimicitia contra Deum. Item, legi Dei non  
 est subiectus, neque enim potest. Hic mihi respondeat  
 liber arbitrij tutor, quomodo possit conari ad bonum,  
 id quod est mors, displicens Deo, inimicitia contra  
 Deum, inobediens Deo, nec potens obedire? Nec  
 enim uoluit dicere, Sensus carnis est mortuus aut ini-  
 micus Deo, sed ipsa mors, ipsa inimicitia, cui sit im-  
 possibile legi Dei subijci, aut Deo placere, sicut &  
 paulo ante dixerat, Nam quod legi erat impossibile,  
 quo infirmabatur per carnem, Deus fecit &c. Nota  
 est & mihi fabula Origenis de triplici affectu, quo-  
 rum unus caro, alius anima, alius spiritus illi dicitur,  
 Anima uero medius ille, in utram partem uel carnis uel  
 spiritus uertibilis. Sed sua sunt haec somnia, dicit tan-  
 tum ea, sed non probat. Paulus hic carnem uocat,  
 quicquid sine spiritu est, uti monstrauius. Ideo sum-  
 ma illae uirtutes optimorum hominum, in carne sunt,  
 hoc est,



hoc est, mortua, inimica Deo sunt, legi Dei non subiecta, nec potentes subijci, Deoq; non placentes. Paulus enim non solum dicit, eos non subijci, sed nec posse subijci. Sic & Christus Matt. 7. Arbor mala non potest fructus bonos facere, Et. 12. Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Vides hic, non solum malos loqui, sed nec posse loqui bona. Et qui alibi dicit, Nos cum simus mali, scire tamen filijs nostris bona dare, Negat tamen nos bona facere, etiam eo ipso, quod damus bona, scilicet, quod bona est creatura Dei, quam damus, nec tamen ipsi boni sumus nec bene bona illa damus, Loquitur autem ad omnes, nempe, etiam ad discipulos suos. Vt constet hac gemina Pauli sententia, iustus ex fide uiuit, Et omne quod non est ex fide, peccatum est. Quarum hac ex illa sequitur, Si enim nihil est, quo iustificemur, nisi fides, euident est, eos qui sine fide sunt, nondum iustificatos esse, Non iustificati uero peccatores sunt, Peccatores uero arbores male sunt, nec possunt quippiam nisi peccare & fructus malos ferre. Quare lib. arb. nihil est, nisi seruum peccati, mortis & Satanae, nihil faciens neq; potens facere aut conari nisi malum.

Adde exemplum illud cap. 10. ex Esaiâ adductum, Inuentus sum a non quaerentibus, palam apparui his, qui me non interrogabant. Hac de gentibus dicit, quod Christum audire & cognoscere illis datum sit, cum ne cogitare quia de ipso potuerint, multo minus quaere-



re aut se ui lib. arb. ad eum preparare. Hoc exemplo  
 satis clarum est, gratiam uenire adeo gratis, ut nec cogitatio de ea, nedum conatus aut studium precedat.  
 Sic & Paulus cum Saulus esset, quid fecit illa summa ui lib. arbi? Certe optima & honestissima agitabat animo, si ratio spectetur. At uide, quo conatu gratiam inuenit, Non modo non querit, sed etiam insaniendo contra eam, accipit. Contra, de iudeis dicit. 9. Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, quæ ex fide est, Israel uero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quid contra hæc mutire potest ullus tutor lib. arbi? Gentes tum cum impietate & omnibus uicijs oppletæ sunt, accipiunt iustitiam gratis miserente Deo. Iudei dum summo studio & conatu iustitiæ student, frustrantur. An hoc non est dicere tantum, quod conatus lib. arb. sit frustra, dum ad optima conatur & ipsum potius in peius ruere & retro sublapsus referri? Nec potest ullus dicere, quod non summa ui liberi arbitrij studuerunt. Ipse Paulus eis testimonium perhibet cap. 10. quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Igitur nihil deest in iudeis, quod libero arbitrio tribuitur, & tamen nihil sequitur, imò contrarium sequitur. In Gentibus nihil adest, quod libero arbitrio tribuitur, & tamen sequitur iustitia Dei. Quid hoc est, nisi manifestissimo exemplo utriusq; nationis, tum clarissimo simul testimonio Pauli, confirmari, quod gratia donatur



conatur gratis immeritis et indignissimis, nec obtinetur  
 illis studijs, conatibus, operibus, pusillis aut magnis,  
 etiam optimorum & honestissimorum hominum, ar-  
 denti zelo iustitiam quarentium & sectantium?

Ad Iohannem etiam ueniamus, qui & ipse copio-  
 sus & potens est liberi arbitrij uastator. Statim in  
 principio tribuit libero arbitrio tantam cecitatem, ut  
 ne uideat quidem lucem ueritatis, tantum abest, ut ad  
 eam possit conari. Sic enim dicit, Lux in tenebris lu-  
 cet, sed tenebrae non comprehendunt. Et mox, In mun-  
 do erat, & mundus eum non cognouit, In propria ue-  
 ni, & sui non receperunt eum. Quid per mundum  
 putas intelligit? nunquid aliquem hominem ab hoc  
 nomine separabis, nisi spiritu sancto recreatum? Et  
 peculiaris est usus uocabuli huius, Mundus, apud  
 hunc Apostolum, quo prorsus totum genus hominum  
 intelligit. Quicquid ergo de mundo dicit, de libero  
 arbitrio intelligitur, ut quod est praestantissimum in  
 homine. Igitur apud hunc Apostolum mundus non  
 nouit lucem ueritatis. Mundus odit Christum &  
 suos. Mundus non nouit neq; uidet spiritum sanc-  
 tum. Mundus totus in maligno positus est. Omne  
 quod est in mundo, est concupiscentia carnis, oculo-  
 rum & superbia uitae. Nolite diligere mundum. Vos  
 estis (ait) de mundo. Mundus non potest odisse  
 nos, Me odit, quia opera eius testor esse mala. Haec  
 omnia & similia multa sunt praeconia liberi arbitrij,  
 scilicet,



scilicet, principalis partis in mundo regnantis sub Sa-  
tanae imperio. Nam & ipse Iohannes per antithesin  
de mundo loquitur, ut mundus sit, quicquid de mundo  
non est in spiritum translatum, sicut ad Apostolos dicit,  
Ego tuli uos de mundo & posui uos &c. Si uero  
essent aliqui in mundo, qui ui liberi arbitrij conaretur  
ad bonum, sicut fieri oportet, si liberum arbitrium  
aliquid posset, propter horum reuerentiam tem-  
perasset merito Iohannes uerbum, ne generali uoce eos  
inuolueret tot malis, quibus mundum accusat. Quod  
cum non faciat, euidenter est, quod liberum arbitrium  
omnibus mundi nominibus reum facit, cum quicquid  
mundus agat, per uim liberi arbitrij, hoc est, rationem  
& uoluntatem, partes sui praestantissimas agat.

Sequitur, Quotquot receperum eum, dedit ei  
potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine  
eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis,  
neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Hac parti-  
tione perfecta rejicit a regno Christi, Sanguines, uo-  
luntatem carnis, uoluntatem uiri. Sanguines credo heretico-  
daeos esse, hoc est, qui uolebant filij regni esse, quod  
essent filij Abrahae & patrum, scilicet, de sanguine  
gloriantes. Voluntatem carnis, intelligo studia popu-  
li, quibus in lege & operibus exercitati sunt. Caro  
enim hic carnales significat sine spiritu, ut qui uolun-  
tatem quidem & conatum habeant, sed quia spiritus  
non adest, carnaliter habeant. Voluntatem uiri, gene-  
raliter

*Agg. iij*  
*vid.*



aliter omnium studia intelligo, siue sint in lege, siue  
 in lege, puta gentium & quorumlibet hominum, ut  
 si sensus, nec natiuitate carnis, nec studio legis, nec  
 in alio studio humano fiunt filij Dei, sed solum nati-  
 uitate diuina. Si igitur non nascuntur carne, nec edu-  
 cantur lege, nec parantur ulla hominis disciplina, sed  
 ex Deo renascuntur, manifestum est lib. arb. hic nihil  
 ualere. Virum enim puto hoc loco accipi Ebraico mo-  
 re, pro quolibet uel pro quocumq;, sicut carnem per  
 antithesin pro populo sine spiritu. Voluntatem autem  
 pro summa ui in hominibus, nempe, pro principali  
 parte liberi arbitrij. Sed esto, non intelligamus uerba  
 singulatim, tamen ipsa rei summa clarissima est, quod  
 Iohannes hac partitione reijciat, quicquid non est ge-  
 neratio diuina, dum filios Dei non fieri dicit, nisi nas-  
 cendo ex Deo, quod fit, ipso interprete, credendo in  
 nomine eius. In qua reiectione, uoluntas hominis, seu  
 lib. arbitrium, cum non sit natiuitas ex Deo neq; fides,  
 necessario comprehenditur. Si uero aliquid ualeret  
 lib. arbitrium, non debebat uoluntas uiri a Iohanne  
 reijci, nec homines ab eo retrahi & ad solam fidem  
 & renascentiam mitti, ne illud Esaiæ. s. ei diceretur,  
 Va uobis, qui dicitis bonum malum. Nunc uero cum  
 equaliter reijciat, sanguines, uoluntatem carnis, uo-  
 luntatem uiri, certum est, quod uoluntas uiri nihil  
 magis ualet ad faciendos filios Dei, quam sanguines,  
 seu natiuitas carnalis. At nulli dubium est, quin nati-  
 uitas



uitas carnis non faciat filios Dei, ut & Paulus Rom. 9. dicit, Non qui filij carnis, ij filij Dei, probatq; in exemplo Ismaelis & Esau.

Idem Iohannes inducit Baptistam de Christo loquentem sic, De cuius plenitudine nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Gratiam dicit acceptam per nos de plenitudine Christi, sed pro quo merito uel studio? Pro gratia (inquit) scilicet Christi, quem admodum & Paulus dicit Rom. 5. Gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Vbi nunc liberi arbitrij conatus, quo paratur gratia? Hic Iohannes dicit, non solum nullo nostro studio gratiam accipi, sed etiam aliena gratia seu alieno merito, nempe, unius hominis Iesu Christi. Aut igitur falsum est, nos gratiam nostram accipere pro aliena gratia, aut liberum arbitrium nihil esse evidens est, utrunq; enim simul consistere nequit, ut tam uilis sit gratia Dei, ut uulgo & passim cuiuslibet hominis pro illo conatu obtineatur, & rursus tam chara, ut in eo per unius tam magni hominis gratiam nobis donetur. Simul hoc loco admonitos uelim liberi arb. tutores, ut sciant, sese esse abnegatores Christi, dum asserunt liberum arbitrium. Nam si meo studio gratiam Dei obtineo, quid opus est Christi gratia pro mea gratia accipienda? Aut quid mihi deest, ubi gratiam Dei habuero? Dixit autem Diatribe, dicunt & omnes Sophiste, nostro conatu nos gratiam Dei impetrare & ad illam

Abnegatores  
lib. arbitrii



illam recipiendam preparari, licet non de condigno, sed de congruo, hoc plane est negare Christū, pro cuius gratia nos gratiā accipere hic testatur Baptista. Nā illud commentū de condigno & congruo supra confutauimus, quod inania uerba sint, reuera autem condignum meritū sentiant, idq; maiore impietate q̄ Pelagiani, uti diximus. Ita fit, ut magis negent Domini Christū, qui nos mercatus est, impij Sophista una cum Diatribē, q̄ nūq̄ negauerint Pelagiani aut ulli Heretici, adeo non patitur secū gratia, ullam particulā aut uim liberi arb. Quod aut Christū negent liberi arb. tutores, nō modo probat hęc scriptura, sed & ipsa eorum uita, Hinc enim Christum, iam non suauem mediatorem, sed metuendum iudicem sibi fecerunt, quem placare student intercessionibus matris & sanctorum, tum multis reuertentis operibus, ritibus, religionibus, uotis, quibus omnibus agunt, ut Christus eis placatus gratiam donet, non autem credunt, quod apud Deum interpellat & gratiam eis impetret per suum sanguinem, & gratiam (ut hic dicitur) pro gratia. Atq; ut credunt, ita habent, Est enim Christus uere & merito illis iudex inexorabilis, dum eum deserunt, ut mediatorem & saluatorem clementissimū, & sanguinem ac gratiā eius uiliorem habent, q̄ studia & conatus liberi arbitrij.

Audiamus & exemplum liberi arbitrij. Nicodemus scilicet uir est, in quo nihil queas desiderare, quod liberum arbitrium ualeat, Quid enim uir ille omittit



omittit studij aut conatus? Fatetur Christum ueracem,  
 & à Deo uenisse, signa prædicat, uenit nocte auditu-  
 rus & collaturus reliqua. An non is quæsiuisset uide-  
 ri liberi arbitrij, ea quæ sunt pietatis & salutis? Sed  
 uide, ut impingat. Cum à Christo ueram uiam salutis  
 per renascentiam doceri audit, nunquid eam agnoscit,  
 aut sese illam aliquando quæsiuisset fatetur? Imo sic ab-  
 horret & confunditur, ut eam non solum se non in-  
 telligere dicat, sed etiam auersetur, ut impossibile.  
 Quomodo (inquit) possunt hæc fieri? Nec mirum  
 sane, Quis enim unquam audiuit, quod ex aqua &  
 spiritu regenerandus sit homo ad salutem? Quis un-  
 quam cogitauit, quod filium Dei oportuerit exaltari,  
 quo omnis, qui crederet in ipsum, non periret, sed  
 haberet uitam æternam? An huius Philosophi acutissi-  
 mi & optinè unquam meminerunt? An principes hu-  
 ius mundi hanc scientiam unquam cognouerunt? An  
 ullius liberum arbitrium unquam ad hoc conatum esse?  
 Nonne Paulus eam fatetur esse sapientiam in mysterio  
 absconditam, per Prophetas quidem prædictam, sed  
 per Euangelion reuelatam, ita ut ab æterno fuerit taci-  
 ta & incognita mundo? Quid dicam? Experienti-  
 am interrogemus, ipse mundus totus, ipsa ratio huma-  
 na, ipsum adeo liberum arbitrium cogitur confiteri,  
 sese Christum non nouisse neque audiuisse, antequam  
 Euangelion in mundum ueniret. Si autem non nouit,  
 multo minus quæsiuit aut quærere, aut ad eum conari  
 potuit.



potuit. At Christus est uia, ueritas, uita & salus. Confiteatur ergo, uelit, nolit, sese suis uiribus nec nosse nec querere potuisse ea, quæ sunt uia, ueritatis & salutis, Nihilominus contra hanc ipsam confessionem & experientiam propriam insanimus & inanibus uerbis disputamus, Esse in nobis uim tantam reliquam, quæ & noscat & applicare sese possit ad ea, quæ sunt salutis, hoc est tantum dicere, Christum filium Dei pro nobis exaltatum, cum nullus unquam scierit nec cogitare potuerit, hæc ipsa tamen ignorantia non est ignorantia, sed notitia Christi, id est, eorum quæ sunt salutis. An nondum uides & palpas liberi arbitrij assertores plane insanire, cum hoc uocent scientiam, quod ipsimet confitentur esse ignorantiam? Nonne hoc est tenebras dicere lucem, Esaiæ quinto? Scilicet, adeo potenter obstruit Deus os libero arbitrio, eius propria confessione & experientia, nec sic tamen tacere potest & Deo gloriam dare.

Deinde cum Christus dicatur uia, ueritas & uita, idq; per contentionem, ut quicquid non est Christus, id neq; uia, sed error, neq; ueritas, sed mendacium, neq; uita, sed mors est, necesse est liberum arbitrium, cum sit neq; Christus, neq; in Christo, errore, mendacio & morte contineri. Vbi igitur & unde habetur medium illud & neutrum, nempe, uis illa liberi arbitrij, quæ cum nec Christus (id est, uia, ueritas & uita) sit, nec error, nec mendacium, nec mors tamen

X esse de-



esse debeat? Nam nisi per contentione dicerentur omnia, quae de Christo & gratia dicuntur, ut opponantur contrarijs, scilicet, quod extra Christum non sit nisi Satan, extra gratiam non nisi ira, extra lucem non nisi tenebrae, extra uiam non nisi error, extra ueritatem non nisi mendacium, extra uitam non nisi mors, Quid, rogo, efficerent uniuersi sermones Apostolorum & tota scriptura? frustra scilicet dicerentur omnia, cum non cogent, Christum esse necessarium, quod tamen maxime agunt, Eo quod medium reperiretur, quod de se, nec malum, nec bonum, nec Christi, nec Satanae, nec uerum, nec falsum, nec uiuum, nec mortuum, forte etiam nec aliquid, nec nihil esset, idq; uocetur praestantissimum & summum in toto genere hominum. Vtrum igitur uis, elige, Si Scripturas per contentione loqui concedis, de libero arbitrio nihil dicere poteris, nisi quae contraria sunt Christo, scilicet, quod error, mors, Satan & omnia mala in ipso regnent. Si non concedis eas per contentione loqui, iam scripturas eneruas, ut nihil efficiant, nec Christum necessarium probent, ac sic, dum liberum arbitrium statuis, Christum euacuas & totam scripturam pessundas. Deinde, ut uerbis similes, te Christum confiteri, reipsa tamen & corde negas, Quia si liberi arbitrij uis non est erronea tota, neq; damnabilis, sed uidens & uolens honesta & bona & ea, quae sunt salutis, sana est, Christo medico non habet opus, nec Christus eam parum



partem hominis redemit, Quia, quid est opus luce & uita, ubi lux & uita est? At ea non redempta per Christum, optimum in homine non est redemptum, sed per sese bonum & saluum. Tum Deus quoq; iniquus est, si ullum hominem damnat, quia illud, quod in homine optimum est & sanum, hoc est, innocentem damnat, Nam nullus homo non habet liberum arbitrium. Et licet abutatur malus homo, Vis tamen ipsa docetur non extinguere, quin ad bona conetur & conari possit. Si autem talis est, dubio procul bona, sancta & iusta est, quare non debet damnari, sed ab homine damnando separari. At hoc fieri nequit, Atq; si fieri posset, tum homo iam sine libero arbitrio, ne homo quidem esset, nec mereretur, nec demereretur, nec damnaretur, nec saluaretur, essetq; plane brutum, iam non immortalis. Reliquum igitur est, ut Deus sit iniquus, qui bonam, iustam, sanctam illam uim damnat, quae Christo non eget in homine & cum homine malo.

Sed pergamus in Iohanne. Qui credit (inquit) in eum, non iudicatur, Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Responde, an liberum arbitrium sit de numero credentium nec ne. Si est, iterum gratia opus non habet, per sese credens in Christum, quem per sese nec nouit nec cogitat. Si non est, iam iudicatum est, hoc quid est, nisi damnatum est coram Deo?

X 2 At Deus



At Deus non damnat nisi impium, Impium igitur est. Quid pro uero impium conetur? Neque credo hic uim liberi arbitrij excipi posse, cum de toto homine loquitur, quem damnari dicit. Deinde incredulitas non est crassus affectus, sed summus ille in uoluntatis & rationis arce sedens & regnans, sicut eius contrarius, nempe, fides. Incredulum autem esse, est Deum negare & mendacem facere .i. Iohannis. i. Si non credimus, mendacem facimus Deum. Quomodo iam uis illa Deo contraria & eum mendacem faciens, conatur ad bonum? Si non esset incredula & impia illa uis, non debuit dicere de toto homine, iam iudicatus est, sed sic, Homo secundum crassos affectus est iam iudicatus, sed secundum optimum & prestantissimum non iudicatur, quia conatur ad fidem, seu potius credula iam est. Sic ubi toties scriptura dicit, Omnis homo mendax, dicemus autoritate liberi arbitrij, Contra, Scriptura potius mentitur, quia homo non est mendax optima sua parte, id est, ratione & uoluntate, sed tantum carne, sanguine & medullis, ut sic illud totum, unde nomen habet homo, scilicet, ratio & uoluntas, sit sanum & sanctum. Item, & illud Baptiste, Qui credit in filium, habet uitam eternam, Qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super ipsum, sic oportebit intelligi, super ipsum, id est, super crassos affectus hominis manet ira Dei, super uim autem illam liberi arbitrij, uoluntatis scilicet & rationis, manet



nis, manet gratia & uita eterna. Hoc exemplo, ut liberum arbitrium subsistat, quicquid in scripturis in homines impios dicitur, per synecdochen torqueas ad partem hominis brutalem, ut salua sit pars rationalis & uere humana. Tum ego gratias agam liberi arbitrii asseritoribus, cum fiducia peccabo, securus, quod ratio & uoluntas seu liberum arbitrium damnari non possit, eo quod nunquam extinguatur, sed perpetuo sanum, iustum & sanctum permanet. At uoluntate & ratione beata, gaudebo fœdam & brutam carnem separari & damnari, tantum abest, ut optem illi Christum redemptorem. Vides, quorsum nos ferat dogma libe. arb. ut omnia diuina & humana, temporalia & eterna, neget & tot monstris irrideat seipsum?

Item, dicit Baptista, Homo non potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo. Desinat hic Diatribe suam ostentare copiam, ubi omnia, quæ de cœlo habemus, numerat. Nos non de natura, sed de gratia disputamus, nec quales simus super terram, sed quales simus in cœlo coram Deo, querimus. Scimus, quod homo dominus est inferioribus se constitutus, in quæ habet ius & liberum arbitrium, ut illa obediant & faciant, quæ ipse uult & cogitat. Sed hoc querimus, an erga Deum habeat liberum arbitrium, ut ille obediat & faciat, quæ homo uoluerit, uel potius an Deus in hominem habeat liberum arbitrium, ut is uelit & faciat, quod Deus uult, & nihil possit,



nisi quod ille uoluerit & fecerit. Hic dicit Baptista, quod nihil accipere possit, nisi donetur ei de caelo, Quare nihil erit lib. arbitrium. Item, Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur. Qui de caelo uenit, super omnes est. Hic iterum omnes terrenos facit, ut renatq; sapere & loqui dicit eos, qui non sunt Christi, nec medios aliquos relinquit. At liberum arbitrium unq; non est ille, qui de caelo uenit, Quare de terra esse & terram sapere & loqui necesse est. Quod si aliqua uis in homine, aliquo tempore, loco aut opere non terrena saperet, hunc Baptista debuit excipere, & non generaliter de omnibus extra Christum dicere, de terra sunt, de terra loquuntur. Sic infra cap. 8. quoq; dicit Christus, Vos de mundo estis, ego non sum de mundo, Vos deorsum estis, ego de supernis sum. At illi habebant liberum arbitrium ad quos loquebatur, scilicet rationem & uoluntatem, & tamen de mundo eos esse dicit. Quid uero noui diceret, si secundum carnem & crassos affectus de mundo esse eos diceret? An hoc non ante nouit totus mundus? Tum quid opus est homines ea parte, qua brutales sunt, de mundo dicere, cum hoc modo & bestie sint de mundo?

Iam illud ubi Christus Iohannis .6. dicit, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum, quid relinquit libero arbitrio? Dicit enim opus esse, ut quis uadiat & discat ab ipso patre, tum omnes oportere a

Deo



Deo doctos esse. Hic sane non solum opera & studia  
 liberi arbitrij docet esse inania, sed ipsum etiam uer-  
 bum Euangelij (de quo agitur eo loco) frustra audiri,  
 nisi intus loquatur, doceat, trahat ipsemet pater, Ne-  
 mo potest, nemo potest (inquit) uenire, uis scilicet  
 illa, qua potest homo aliquid conari ad Christum, id  
 est, ad ea, quae sunt salutis, nulla esse asseritur. Nec  
 prodest libero arbitrio, quod Diatribe ex Augustino  
 affert ad calumniandum clarissimum hunc & poten-  
 tissimum locum, scilicet, quod Deus trahat quemad-  
 modum ouem ostenso ramo trahimus. Hac similitudine  
 uult probari, uim inesse nobis sequendi tractum Dei,  
 Sed nihil ualet haec similitudo hoc loco. Quia Deus  
 ostendit non solum unum, sed omnia bona sua, tum ip-  
 sum etiam Christum filium, nec tamen ullus homo se-  
 quitur, nisi intus pater aliud ostendat & aliter trahit,  
 imò totus mundus persequitur filium, quem ostendit.  
 Ad pios belle quadrat ea similitudo, qui iam sunt oues  
 & cognoscunt pastorem Deum, hi spiritu uiuentes  
 & moti sequuntur, quorsumcumq; Deus uoluerit &  
 quicquid ostenderit. Impius uero non uenit etiam au-  
 dito uerbo, nisi intus trahat, doceatq; pater, quod fa-  
 cit largiendo spiritum, ibi alius tractus est, quam is  
 qui foris fit, ibi ostenditur Christus per illuminationem  
 spiritus, qua rapitur homo ad Christum dulcissimo  
 raptu, & patitur loquentem doctorem & trahentem  
 Deum, potius quam ipse quaerit & currat.

X 4 Vnum ad



Vnum adhuc ex Iohanne afferamus, ubi cap. 16, dicit, Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Hic uidet peccatum esse, non credere in Christum. At hoc peccatum, non utiq; in cuius uel capillis hæret, sed in ipsa ratione & uoluntate, Cum autem totum mundum reum faciat hoc peccato, & experientia notum sit, peccatum hoc, mundo fuisse ignoratum æque ac Christum, ut quod spiritu arguente reueletur, manifestum est, liberum arbitrium cum sua uoluntate & ratione hoc peccato captum & damnatum censeri coram Deo. Quare donec Christum ignorat, nec in eum credit, nihil boni potest uelle aut conari, sed seruit necessario peccato illo ignorato. Summa, cum scriptura ubiq; Christum per contentio- nem & antithesin prædicet ( ut dixi ) ut quicquid sine Christi spiritu fuerit, hoc Satana, impietati, errori, tenebris, peccato, morti & iræ Dei subijciat, contra liberum arbitrium pugnabunt testimonia, quot quot de Christo loquuntur, At ea sunt innumerabilia, imò tota scriptura, Ideo si scriptura iudice causam agimus, omnibus modis uicero, ut ne iota unum aut apex sit reliquus, qui non damnet dogma liberi arbitrij. Quod autem scriptura Christum per contentio- nem & antithesin prædicet, & si id ignorent aut scire dissimulent magni Theologi & liberi arbitrij tutores, sciunt tamen & consententur uulgo cuncti Christiani, Sciunt ( inquam ) duo esse regna in mundo, mutuo pugnantis-



pugnantissima, in altero Satanam regnare, qui ob id  
 principes mundi à Christo, & Deus huius sæculi à  
 Paulo dicitur, qui cunctos tenet captiuos ad uolunta-  
 tem suam, qui non sunt Christi spiritu ab eo rapti, teste  
 eodem Paulo, nec sinit eos sibi rapti ullis uiribus, nisi  
 spiritu Dei, ut Christus testatur in parabola de forti  
 atrium suum in pace seruante. In altero regnat Chri-  
 stus, quod assidue resilit & pugnat cum Satana reg-  
 no, in quod transferimur, non nostra ui, sed gratia  
 Dei, qua liberamur à presenti sæculo nequam, &  
 eripimur à potestate tenebrarum. Istorum regnorum  
 mutuo tantis uiribus & animis perpetuo pugnantium,  
 cognitio & confessio, sola satis esset ad confutandum  
 dogma liberi arbitrij, quod in regno Satanae cogimur  
 seruire, nisi uirtute diuina eripiamur. Hæc inquam  
 uulgus nouit & tum prouerbij, præcibus, studijs,  
 totaq; uita satis confitetur.

Omitto illud meum uere Achilleum, quod Diatribe  
 fortiter transiuit intactum, scilicet, quod Rom. 7. &  
 Gala. 5. Paulus docet in sanctis & pijs, esse pugnam  
 spiritus & carnis tam ualidam, ut non facere possint,  
 que uellent. Ex hoc sic arguebam, Si natura hominis  
 adeo mala est, ut in ijs, qui spiritu renati sint, non mo-  
 do non conetur ad bonum, sed etiam pugnet & aduer-  
 setur bono, quomodo in illis, qui nondum renati in ue-  
 teri homine sub Satana seruiunt, ad bonum conaretur?  
 Neq; enim ibi Paulus solum de crassis affectibus lo-

X § quitur,



quitur, per quos uelut per commune effugium solet  
 Diatribe omnibus scripturis elabi, sed numerat inter  
 opera carnis, haresim, idolatriam, dissensiones, con-  
 tentiones, que utiq; in summis illis uiribus, puta, ra-  
 tione & uoluntate, regnant. Si igitur caro istis affec-  
 tibus pugnat contra spiritum in sanctis, multo magis  
 contra Deum pugnabit, in impijs & in libero arbi-  
 trio. Ideo & Rom. 8. uocat eam inimicitiam contra  
 Deum. Hoc (inquam) argumentum uellem mihi dilui,  
 & ab eo libe. arbitrium defendi. Ego sane de me con-  
 fitor, Si qua fieri posset, nollem mihi dari liberam  
 arbitrium, aut quippiam in manu mea relinqui, quo  
 ad salutem conari possem, non solum ideo, quod in tot  
 aduersitatibus & periculis, Deinde tot impugnantia-  
 bus demonibus, subsistere & retinere illud non uale-  
 rem, cum unus demon potentior sit omnibus homini-  
 bus, neq; ullus hominum saluaretur, Sed, quod etiam  
 si nulla pericula, nullae aduersitates, nulli demones  
 essent, cogrerer tamen perpetuo in incertum laborare  
 & aerem pugnis uerberare, neq; enim conscientia  
 mea, si in eternum uiuerem & operarer, unquam  
 certa & secura fieret, quantum facere deberet, quo  
 satis Deo fieret. Quocunq; enim opere perfecto,  
 reliquus esset scrupulus, an id Deo placeret, uel an  
 aliquid ultra requireret, sicut probat experientia  
 omnium iustitiorum, & ego meo magno malo tot  
 annis satis didici. At nunc cum Deus salutem meam,  
 extra



extra meum arbitrium tollens, in suum receperit, & non meo opere aut cursu, sed sua gratia & misericordia promiserit me seruare, securus & certus sum, quod ille fidelis sit & mihi non mentietur, tum potens & magnus, ut nulli demones, nulla aduersitates eum frangere aut me illi rapere poterunt. Nemo (inquit) rapiet eos de manu mea, quia pater, qui dedit, maior omnibus est. Ita fit, ut si non omnes, tamen aliqui & multi saluentur, cum per uim liberi arbitrij, nullus prorsus seruetur, sed in unum omnes perderemur. Tum etiam certi sumus & securi, nos Deo placere, non merito operis nostri, sed fauore misericordiae suae nobis promissae, atq; si minus aut male egerimus, quod nobis non imputet, sed paterne ignoscat & emendet. Haec est gloriatio omnium sanctorum in Deo suo.

Si autem id mouet, quod difficile sit, clementiam & equitatem Dei tueri, ut qui damnat immeritos, hoc est, impios eiusmodi, qui in impietate nati, non possunt ulla ratione sibi consulere, quin impij sint, maneat & damnentur, coganturq; necessitate naturae peccare & perire, sicut Paulus dicit. Eramus omnes filij ire, quemadmodum & ceteri, cum tales creentur ab ipsomet Deo ex semine uitiatu per unius Ade peccatum. Hic honorandus & reuerendus est Deus, clementissimus in ijs, quos iustificat & saluat indignissimos, donandumq; est saltem non nihil diuinæ eius sapientiæ, ut iustus esse credatur, ubi iniquus



iniquus nobis esse uidetur. Si enim talis esset eius iustitia, quae humano captu posset indicari esse iusta, plane non esset diuina, & nihilo differret ab humana iustitia. At cum sit Deus uerus & unus, deinde totus incomprehensibilis & inaccesibilis humana ratione, par est, imò necessarium est, ut & iustitia sua sit incomprehensibilis. Sicut Paulus quoque exclamat dicens, O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiae eius. Incomprehensibilia uero non essent, si nos per omnia capere ualeremus, quare simus iusti. Quid est homo comparatus Deo? Quantum est, quod potentia nostra potest, illius potentiae comparata? Quid est nostra fortitudo illius uiribus collata? Quid nostra scientia illius sapientiae comparata? Quid nostra substantia ad illius substantiam? Summa, quid omnia nostra sunt ad illius omnia? Si igitur fateamur, etiam natura magistra, humanam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam & omnia nostra prorsus nihil esse, si ad diuinam potentiam, fortitudinem, sapientiam, scientiam, substantiam conferantur, quae est nostra illa peruersitas, ut solam iustitiam & iudicium Dei uexemus, & iudicio nostro tantum arrogemus, ut diuinum iudicium comprehendere, iudicare & aestimare uelimus? Quare non similiter & hic dicimus, iudicium nostrum nihil est, si diuino iudicio comparatur? Consule ipsam rationem, si



non conuicta cogetur, sese stultam & temerariam con-  
fiteri, quod iudicium Dei non sinit esse incomprehen-  
sibile, cum cætera diuina omnia fateatur esse incom-  
prehensibilia. Scilicet, in omnibus alijs Deo concedi-  
mus maiestatem diuinam, in solo iudicio negare parati  
sumus, nec tantisper possumus credere, eum esse iu-  
stum, cum nobis promiserit, fore, ubi gloriam suam  
reuelarit, ut omnes tum uideamus & palpemus, eum  
fuisse & esse iustum.

Dabo exemplum ad confirmandam hanc fidem &  
ad consolandum oculum illum nequam, qui Deum su-  
spectum habet de iniquitate. Ecce sic Deus administrat  
mundum istum corporalem in rebus externis, ut si ra-  
tionis humane iudicium spectes & sequaris, cogaris  
dicere, aut nullum esse Deum, aut iniquum esse De-  
um, ut ille ait, Sollicitor nullos sepe putare Deos.  
Vide enim, ut prosperrime habeant mali, contra in-  
felicissime boni, testantibus prouerbij & experi-  
entia prouerbiorum parente, quo sceleratior, hoc  
fortunatior esse. Abundant (inquit Hiob) taber-  
nacula impiorum, & Psalmus. 72. queritur, Pecca-  
tores in mundo abundare diuitijs. Obsecro, an non  
omnium iudicio, iniquissimum est, malos fortunari &  
bonos affligi? At ita fert cursus mundi. Hic etiam  
summa ingenia eo lapsa sunt, ut Deum esse negent &  
fortunam omnia temere uersare fingant, quales Epi-  
curei, & Plynus, Deinde Aristoteles suum illud pri-  
mum ens,



num ens, ut liberet à miseria, sentit ipsam nihil re-  
rum uidere, nisi se solum, quod ei molestissimum  
esse putat, tot mala, tot iniurias uidere. Propheta  
uero, qui Deum esse crediderunt, magis tentantur de  
iniquitate Dei, ut Hieremias, Hiob, Dauid, Assaph  
& alij. Quid putas Demosthenes & Cicero cogita-  
runt, cum omnia, quae poterant, effecissent, & ta-  
lem mercedem misero interitui receperunt? Et tamen  
haec iniquitas Dei uehementer probabilis & argu-  
mentis talibus traducta, quibus nulla ratio aut lumen  
naturae potest resistere, tollitur facillime per lucem  
Euangelij & cognitionem gratiae, qua docemur, im-  
pios corporaliter quidem florere, sed anima perdi.  
Estq; totius istius quaestionis insolubilis, ista breuis  
solutio in uno uerbulo, scilicet, Esse uitam post hanc  
uitam, in qua, quicquid hic non est punitum & re-  
muneratum, illic punietur & remunerabitur, cum  
haec uita sit nihil nisi praecursus aut initium potius su-  
turae uitae.

Si igitur lux Euangelij, quae solo uerbo & fide usa-  
let, tantum efficit, ut ista quaestio omnibus saeculis  
tractata & nunquam soluta, tam facile dirinatur &  
componatur, quid putas futurum, ubi cessante lumine  
uerbi & fidei, res ipsa & maiestas diuina per sese  
reuelabitur? An non putas, quod tum lumen gloriae  
quaestionem quam facillime soluere possit, quae in lu-  
mine uerbi aut gratiae est insolubilis, cum lumen gratiae  
tam facile



tam facile soluerit questionem in lumine naturæ insolubilem? Tria mihi lumina pone, lumen naturæ, lumen gratiæ, lumen gloriæ, ut habet uulgata & bona distinctio. In lumine naturæ est insolubile, hoc esse iustum, quod bonus affligatur & malus bene habeat, At hoc dissoluit lumen gratiæ. In lumine gratiæ est insolubile, quomodo Deus damnet eum, qui non potest ullis suis uiribus aliud facere, quam peccare & reus esse, Hic tam lumen naturæ, quam lumen gratiæ dictant, culpam esse, non miseri hominis, sed iniqui Dei, nec enim aliud iudicare possunt de Deo, qui hominem impium gratis sine meritis coronat, & alium non coronat, sed damnat, forte minus uel saltem non magis impium. At lumen gloriæ aliud dicit, & Deum, cuius modo est iudicium incomprehensibilis iustitiæ, tunc ostendet esse iustissimæ & manifestissimæ iustitiæ tantum, ut interim id credamus, moniti & confirmati exemplo luminis gratiæ, quod simile miraculum in naturali lumine implet.

Finem hic faciam huius libelli, paratus, si opus sit, pluribus hanc causam agere, quanquam hic arbitror pio & qui ueritati sine pertinacia cedere uelit, abunde satis esse factum. Si enim credimus uerum esse, quod Deus præscit & præordinat omnia, tum neque falli neque impediri potest sua præscientia & prædestinatione, Demde nihil fieri, nisi ipso uolente, id quod ipsa ratio cogitur concedere, simul ipsa

ratione



ratione teste, nullum potest esse liberum arbitrium in homine uel angelo aut ulla creatura. Ita si credimus Satanam esse principem mundi, Christi regno totis uiribus perpetuo insidiantem & pugnante, ut captiuos homines non dimittat, nisi diuina spiritus uirtute pulsus, iterum patet, nullum esse posse liberum arbitrium. Ita si peccatum originale credimus sic nos perdidisse, ut etiam ijs, qui spiritu aguntur, negotium molestissimum faciat, aduersus bonum luctando, clarum est, nihil in homine spiritus inani reliquum esse, quod ad bonum sese uertere possit, sed tantum ad malum. Item si Iudei summis uiribus iustitiam sectantes, in iniustitiam potius prouenerunt, & Gentes impietatem sectantes, gratis & insperate ad iustitiam peruenierunt, tandem manifestum est, ipso opere & experientia, hominem sine gratia nihil nisi malum posse uelle. Sed summa, si credimus Christum redemisse homines per sanguinem suum, totum hominem fateri cogimur fuisse perditum, alioqui Christum faciemus uel superfluum uel partis uilissimae redemptorem, quod est blasphemum & sacrilegum.

Te nunc Mi Erasme, per Christum oro, ut quod promissisti, tandem praestes, promissisti autem, uelle te cedere meliora docenti, Pone respectum personarum Fateor, tu magnus es & multis, ijsq; nobilissimis donatus a Deo ornatus, ut alia taceam, ingenio, eruditione, facundia usq; ad miraculum. Ego uero nihil habeo &



habeo & sum, nisi quod Christianum esse me prope  
 glorier. Deinde & hoc in te uehementer laudo &  
 predico, quod solus prae omnibus rem ipsam es ag-  
 gressus, hoc est, summam causae, nec me fatigaris  
 alienis illis causis de Papatu, purgatorio, indulgen-  
 tijs, ac simili bus nugis potius quam causis, in quibus  
 me hactenus omnes fere uenati sunt frustra. Vnus tu  
 & solus cardinem rerum uidisti, & ipsum iugulum  
 petisti, pro quo ex animo tibi gratias ago, in hac  
 enim causa libentius uersor, quantum fauet tempus  
 & oecum. Si hoc fecissent, qui me hactenus inuase-  
 runt, si adhuc illi facerent, qui modo novos spiritus,  
 nouas reuelationes iactant, minus seditionis & secta-  
 rum, & plus pacis & concordie haberemus. Sed  
 Deus ita per Satanam nostram ingratitude uindi-  
 cavit. Quamquam nisi aliter causam istam agere po-  
 tes, quin hac Diatribe egisti, optarim magnopere,  
 ut tuo dono contentus, literas & linguas, sicut hacte-  
 nus cum magno fructu & laude fecisti, coleres, or-  
 nares, proueheres, quo studio non nihil & mihi  
 seruiuisti, ut multum tibi me debere fatear, & certe  
 in eare te ueneror & suspicio sincero animo. Huic  
 nostrae causae, ut par esses, nondum uoluit nec dedit  
 Deus, Id quod rogo, nulli dictum arrogancia existi-  
 mes, Oro autem, ut prope diem Dominus tantum te  
 in hac re superiore me faciat, quam in alijs omni-  
 bus mihi superior es. Non est enim nouum, si Deus

X Mosen



Mosen per Iethro erudiat, Et Paulum per Ananiam doceat. Nam quod tu dicis, procul esse aberratum à scopo, si tu Christum ignores, arbitror te ipsum videre, quale sit, Neque enim ideo omnes errabunt, si tu aut ego erramus. Deus est, qui mirabilis in sanctis suis predicatur, ut sanctos putemus, qui longissime sint à sanctitate. Neque difficile est, ut homo cum sis, scripturas aut patrum dicta, quibus ducibus te credis scopum tenere, neque recte intelligas, neque diligenter satis obserues, quod sanctis monet illud, quod nihil asserere, sed contulisse te scribis, Sic non scribit, qui rem penitus perspiciat & recte intelligit. Ego uero hoc libro NON CONTVLI, SED ASSERVI, ET ASSERVO, ac penes nullum uolo esse iudicium, sed omnibus suadeo, ut præstent obsequium. Dominus uero, cuius est hæc causa, illuminet te & faciat uasculum in honorem & gloriam, AMEN.

FINIS.



INDEX HIC, NON QUIDEM ANXIE  
diligens, sed tamen in quo, nisi sis aliene industrie  
prorsus iniquus, nihil desiderabis, uerborum  
& rerum scitu dignarum loca, Alphabe-  
tico ordine quam compendiosissime  
ostendit.

A

- Abraham iustificatus est ex fide non operibus .306.  
Academici & Sceptici absint à Christianis .8.  
Adam cum adesset spiritus non potuit noua uoluntate  
uelle bonum .123.  
Adam cur permissus rucere .193.  
Ad e unius delicto omnes sub peccato sumus .309.  
Ad e peccatum quomodo nostrum fiat .309.  
Adoranda secreta Maiestatu diuine consilia .50.151.  
Aduersarij non possunt resistere & tamē resistunt .89.  
Aduersariorum os obstruendum scriptura .88.  
Agi spiritui Dei .168.  
An Deus contingenter omnia præsciat, & an omnia  
faciamus necessitate .23.  
Apocripha .106.  
Arbitrium uerabile uel mutabile potius q̄ liberum di-  
cendum .98.  
Arbitrij uires prius explorandas similitudinibus pro-  
bat .20.  
Arbitrium seruuum non liberum .57.  
Arbitrij uis nulla est absente gratia .58.

X Z Arbitrij



Arbitrij uis non potest se applicare ad gratiam. 69.  
Arrianorum saeculum. 77.  
Assequi rem quid sit. 11.  
Assertionem quid uocet Lutherus. 7.  
Assertionibus Christianus delectari debet. 7.  
Assertores lib. arbitrij temerarij si scriptura obscura  
est. 94.  
Assertores lib. arbitrij sunt abnegatores Christi. 318.  
Augustini opinio de libero arbitrio. 103.

B

Bernhardi morientis oratio. 68.  
Bonae ualde erant, quae fecit Deus &c. 185.

C

Canonisatio sanctorum Papae. 79.  
Caro non uidet gloriam Dei. 249.  
Caro & spiritus separandi. 253.  
Caro in scripturis quomodo accipiat. 244. 247.  
Caro quid sit apud Paulum. 312. (235.)  
Caro sunt homines. 235.  
Caro est quicquid non est spiritus. 293.  
Carnis & spiritus pugna. 329.  
Causa lib. arbitrij per huiusmodi assertores peius ha-  
bet nunc quam antea. 6.  
Causa de libe. arbitrio Christiano scitu necessaria. 17.  
Causa legislationis diuinae. 119.  
Cecitatis tot saeculorum causa. 91.  
Charitas bene sentit de proximo. 79.

Charitatis



Charitatis est falli. 79.

Christus promittens regnum discipulis multas difficultates prædicit. 196.

Christus iudex est ijs qui eum mediatorem nolunt. 319.

Christus incognitus ante prædicationem Euangelij. 320.

Christus unus in scripturis requirendus. 14.

Christi redemptio. 251. 336.

Christi regnum. 328.

Christum nobis necessarium esse. 322.

Christus uia ueritas & uita. 321.

Christus Phariseos scriptura conuicit. 89.

Christus crucifixus prædicandus. 61. 72.

Christus à paucis creditus suo tempore. 76.

Christianus assertionibus delectari debet. 7.

Christianus certus sit quid credat. 11.

Christianus sciat quid sibi necessariū & quid utile. 18.

Christianorum articuli certissimi sint. 88.

Christianis necessarium est nosse quid uoluntas ualeat in ijs, quæ pertinent ad salutem. 22.

Christianorum summa consolatio, nosse Deum non mentiri. 30.

Christiana dogmata distinguit Diatribe. 12.

Christianismi forma ab Erasmo descripta. 17. 19.

Cognitio peccati per legem. 126. 294.

Concionatores leues notantur. 34.

Conciliorum decreta. 46.

Concilia Papæ. 77.

Y 3      Conditio=



Conditionalis nihil asserit .117. 152.  
Confessionis & satisfactionis libera predicatio. 36.  
Confessio fidei certissima exigitur à Christiano. 8.  
Coniunctius oratio .152. 254. 250.  
Conscientia uera non luditur figuris .209.  
Conscientiæ non sunt falsis legibus irretiendæ. 36.  
Contentione aguntur omnia in scripturis. 322. 328.  
Copiæ scripturarum contra libe. arbitrium. 275.  
Cor regis in manu Domini. 258.  
Corinthij carnales à Paulo uocantur. 233.  
Cornelij preces & eleemosynæ. 241.  
Corrigere uitam suam nemo potest nisi pius. 50.  
Contingenter fieri quid sit. 26.  
Contingens opus. 26.  
Conuertimini ad me & c. 132. 135.  
Conuertendi uerbum duplici usu in scripturis tractatur. 136.  
Cur quedam in scripturis abstrusa uidentur. 15.  
D  
Demones rectores tenebrarum. 92.  
Desperatio sui. 52.  
Deus cur non cesset indurare impios. 193.  
Deus cur non mutet uoluntates malas. 193.  
Deus cur permisit Adam ruere & c. 193.  
Deus uerax in promissionibus. 30.  
Deus nihil præscit contingenter. 25.  
Deus non mutatur. 25.

Deus non



Deus non respicit merita aut demerita. 226.  
Deus quō dicatur mala operari in nobis .186. 190.  
Deus omnia in omnibus operatur. 287. 230.  
Deus per malos mala facit. 188.  
Deus Aristotelicus. 181.  
Deus omnipotens est, omnia nouit & præscit. 206.  
Deus uoluit uulgari dogma de libe. arbitrio. 51.  
Deus noster, Deus omnium est omniq; tempore. 218.  
Deus non mentitur nec fallitur. 198.  
Deus non amat aut odit nec uult, ut nos. 216.  
Deus prædicatus, & Deus non prædicatus. 142.  
Deus iustus est non iniquus. 322.  
Deus administrat hunc mundum mirabiliter. 323.  
Dei iustitia, misericordia & c. alia q̄ nostra. 332.  
Dei uoluntatis cognitio. 141.  
Dei omnipotentia agit omnia etiam in nouis creaturis,  
illis tamen cooperantibus. 270.  
Dei beneplacitum. 161.  
Dei omnipotentia. 197.  
Dei præscientia & omnipotentia pugnant cum libero  
arbitrio. 204.  
Dei incarnati opera. 150.  
Deo peculiare est electos Israel impedire, & feces  
saluare, & c. 76.  
Deum ignorare & contemnere. 286.  
Deum esse ubiq; & ubiq; adorandum. 35.  
Deum esse in antro Scarabei non minus q̄ in cœlo. 33.

X 4 Diffinitio



Diffinitio lib. arbitrij ab Erasmo posita cōfutatur. 97.  
Dilectio Dei. 134.  
Diluuij causa. 233.  
Disputationis ingressus. 62.  
Dixit & facta sunt. 191.  
Doctrina propter uitam non damnanda. 34.  
Dogma nullū admittēdū nisi signis probatū fuerit. 66.  
Dogma de lib. arbitrio Christiano scitu necessariū. 17.  
Dogma de lib. arbitrio Lutherus declarari cupit. 70.  
Dogma de lib. arbi. obscurum ne an certum esse oportet Christianis. 88.  
Duae res sunt Deus & scriptura Dei. 13.  
Duae res exigunt dogma de lib. arbi. prædicari. 51.  
E  
Ecclesia Dei non potuit errare. 75.  
Ecclesia Dei creditur. 76.  
Ecclesia Dei semper seruata est. 77.  
Ecclesie decreta nulla sunt in sacris literis. 10.  
Ecclesie Dei status. 77.  
Ecclesiasticus nihil dicit pro lib. arb. 106. 123.  
Electorum error. 75.  
Elias se solum relictum conquerebatur. 76.  
Eligendi libertas non est penes libe. arbi. 125.  
Esaie cap. 40. Summa. 238.  
Euangelium quid. 155.  
Euangelium scandalum Iudæis, gentibus stultitia. 280.  
Euangelium apud omnes prædicandum. 46.  
Euangelij



97. Euangelij uis & efficacia. 189. 334.  
Euangelij predicatio. 155.  
Ex affectu potius q̄ ex sermone metiendi sunt homines.  
Exhortationes Paulinae. 232. (69.  
Exhortationes in nouo Testamento. 155. 160.  
Ex operibus legis non iustificatur ulla caro. 289.

F

66. Faber constantiensis. 75. Fatum. 28.  
17. Fides Christiana. 52.  
70. Fides donum Dei rarum. 122.  
opor Fidei est non falli. 79.  
Fidei summus gradus. 53.  
Fidei exercitium. 53.  
Fidei qualis affectus. 324.  
Filiij Dei non fiunt nisi renascendo ex Deo. 317.  
Fructus & opera nostra. 163.  
Furor mundi aduersus Euangelium Dei. 189.

G

Gentes nō sectando, iustitiā sunt cōsecuti & c. 314. 336.  
Gentibus semper fuit maior eruditio, excellentius in-  
genium & c. q̄ Christianis. 78.  
Gloria Dei dupliciter accipitur. 300.  
Gloriatur in Deo qui? 300.  
Gratia datur gratis & immeritis. 314.  
Gratiam pro gratia accepimus. 318.  
Gratia cur non confertur. 273.  
Gratiæ solius est bona uolūtas mer tū & premiū. 158.

X 5 Grecorum



Græcorum sapientiam stultitiam uocat Paulus. 281.

H

Hieronymi oscitantia & error. 212. 291.

Hieronymi dictum quoddam impium. 75.

Hieronymus & Origenes authores deprauationis  
scripturarum. 234.

Homo caro est uel homo spiritus est. 250.

Homo dominus rerum constitutus. 60. 115. 325.

Homo in duo regna distribuitur. 115. 328.

Homo ubi habeat liberum arbitrium, ubi non. 115.

Homo extra gratiam manet tamen sub omnipotentia

Homo natura malus. 237. (Dei. 267.)

Homo renatus. 253.

Homo non potest capere ea que Dei sunt. 321.

Homo uetus & homo nouus. 165.

Homo totus caro est. 245. 247.

Homo sibi relictus uidens non uidet & audiens non  
audit. 92.

Homo qualis a scriptura describitur. 130.

Homo non est sui iuris aut operis elector & factor.

Hominis est preparare cor, & c. 256. (259.)

Hominum duo genera credentes & non credentes. 299.

Homousios Arrianorum. 247.

Honesti coram mundo impia sunt coram Deo. 249.

Humana omnia uana. 66.

Humanum genus in carnem & spiritum diuidit Paulus.

Humiliatio hominis. 51. (lus. 311.)

Iacob



Iacob dilexi Esau odio habui .212. 216.  
 Imbecillitas ingenij apta capiendis uerbis Dei .94.  
 Impenitentia peccatum irremissibile .22.  
 Impium ad diem malū operatus est dominus .185. 257.  
 Impius peccat in omni re .299.  
 Imputatio gratiæ .307.  
 In Hebraicum pro, pro, uel propter .240.  
 Incertitudine nihil miserius .10.  
 Incredulitas qualis affectus .324.  
 In Deo sunt multa abscondita .13.  
 In scriptura nihil abstrusum .13.  
 Indicatio futuro pro imperatio utitur Hebrei .124.  
 Indignatio diuina &c .243.  
 Indurare quid secundum Diatriben .177.  
 Induratio Pharaonis .191. 195.  
 Indurationis negotium .188.  
 Infirma in patribus & sanctis non amplectenda .74.  
 Ingratitudo ob uerbum receptum .43.  
 Interpretatio in scripturis assertorū lib. arbitrij .228.  
 Inuentus sum a non querentibus me &c .313.  
 Iohannes Hus combustus .77.  
 Iohannes Hus contra Papam scripturis egit .90.  
 Iohannis .i. caput contra lib. arbitrium .315.  
 Iohannis Euangelii malleus contra lib. arbitrium .165.  
 Iohannes potens & copiosus lib. arbitrij uastator .315.  
 Ira Dei & iustitia reuelantur e caelo .276.

Iude



Iudæ proditio .208. 211.  
Iudæi reiecti. Gentes assumptæ. 314. 336.  
Iudæorum sanctitas reijcitur à Paulo. 282.  
Iudicare spiritum Dei inter homines quid? 234.  
Iudicium duplex in scripturis internum & externū. 82.  
Iudicium nullū hodie est in scriptis patrū legendis. 80.  
Iudicandi potestas de doctrina Christianis data. 10.  
Iustitia Abraham duplex, ciuilis & fidei. 306.  
Iustitia Dei sine lege manifestatur. 297.  
Iustitiæ duæ apud Paulum. 298.  
Iustitia Iudæorum. 245.  
Iustitia est aut peccatum, nihil medium. 299.  
Iustificamur gratis. 305.  
Iustificati gratis per gratiam ipsius. 301.

L

Lectores maligni patrum. 73.  
Lenitas & ira Dei. 178.  
Lex facit cognoscere peccatum. 294.  
Lex iram operatur. 308.  
Lex non impletur uiribus humanis. 239.  
Lex propter transgressiones posita. 296.  
Legis cognitio. 206.  
Legis diuinæ uirtus & efficacia. 119. 126.  
Leges componunt causas. 83.  
Leges oportet esse certissimas. 83.  
Legis opus & fructus. 295.  
Legis uerba quid faciant. 126. 135. 139.

Liberum



Liberum arbitrium nullum etiam ex scriptis Diatri-  
bes .56.

Libe. arbitrij due partes secundum Pelagianos .102.

Liberum arbitrium summus hostis iustitiæ & salutis  
humane .280.

Liberum arbitrium, diuinum nomen, soli diuine Ma-  
iestati competit .58. 102.

Libe. arbitrij nomen tollendum ex ore hominum .58.

Liberum arbitrium quid possit in peccato agnito aut  
in sese conuincendo .140.

Liberum arbitrium, argumens sese mutuo deuo-  
rantibus, defenditur .120.

Liberum arbitrium prostratū duplici uictoria .276.

Libe. arbi. non potest unccere animi motus .124.

Libe. arbi. ualere in rebus inferioribus se .60. 325.

Libe. arbitrium nihil nisi malum potest .193.

Libe. arbitrij assertores abnegatores Christi sunt .318.

Liberum arbitrium non esse nobis optandum .330.

Liberum arbitrium nomen & res de solo titulo .274.

Liberum arbitrium merum mendatium .6.

Liberum arbitrium iumentum Satane .263.

Liberum arbitrium cogitur seruire peccato .110.

Liberi arbitrij uox .97.

Liberum arbitrium natura aliquid facit & c. 267.

Liberum arbitrium quid secundum Sophistas .103.

Liberum arbitrium inane nomen .113.

Libertas amissa nulla libertas .113.

Libertate



Libertate Christiana abutentes .45.  
Lingua & calamus cordi respondeat .9.  
Locus Deutero. 3. & 30. de eligendo & c. 127.  
Locus Deutero. 17. de difficili causa & c. 83.  
Locus Deutero. 30. Mandatum hoc & c. 144.  
Locus Deutero. 30. Posui ante faciam tuam & c. 125.  
Locus Ecclesiastici .15. cap. 105. 114.  
Locus Esaie .1. cum reliquis . Si uolueritis & c. 131.  
Locus Esaie .6. Auribus audietis & c. 92.  
Locus Esaie .10. Inuentus sum a non querentibus  
me, & c. 313.  
Locus Esaie .40. Quis adiuuit spiritum Domini .15.  
Locus Esaie .40. Omnis caro fenum & c. 242.  
Locus Esaie .40. Suscepit duplicia & c. 273.  
Locus Esaie .45. de luto & figulo .220.  
Locus Esaie .46. Consilium meum stabit .28.  
Locus Esaie .58. de uoluntate Maiestatu diuina non  
scrutanda .151.  
Locus Euangelistarum de forte armato .56. 329.  
Locus Exo. 9. de induratione Pharaonis. 169. 178.  
Locus Ezech. 18. Viuo ego & c. 136. (195)  
Locus Gene. 1. & 2. de creatione hominis .115.  
Locus Gene. 4. de uerbis Cain ad Dominum .123.  
Locus Gene. 6. Non perma. spi. me. in ho. 232.  
Locus Gene. 8. Sensus & cogitatio cordis. & c. 236.  
Locus Gene. 25. de Iacob & Esau .214. 218.  
Locus Hiere. 10. Scio Domine, & c. 254.

Locu



Locus Hier. 15. Si conuertaris &c. 132.  
Locus Hier. de luto & figulo .220.  
Locus Iacobi. 1. Voluntarie genuit nos &c. 271.  
Locus Iohan. 1. dedit eis potesta. fi. Dei fi. 165.  
Locus Iohan. 3. Quod natum est ex carne &c. 245.  
Locus Iohan. 3. Non potest homo quicquam accipere  
&c. 267. 325.  
Locus Iohan. 3. Qui de terra est terrena loquitur. 326.  
Locus Iohan. 6. Nemo uenit ad patrem &c. 326.  
Locus Iohan. 8. Vos de mundo estis &c. 326.  
Locus Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. 259.  
Locus Iohan. 16. Spiritus arguet mundum &c. 328.  
Locus Malach. 1. Iacob dilexi Esau odio habui. 212.  
Locus Marci. 16. Ite in uniuersum orbem. 45.  
Locus Matthei. 5. Merces uestra &c. 156.  
Locus Matt. 7. Ex fruc. eorum cog. eos. 163.  
Locus Matt. 16. de ecclesia Christi. 90.  
Locus Matt. 19. Si uis ad uitam ingredi. 152.  
Locus Matt. 23. Et noluisti. 148.  
Locus Matt. 25. de sententia extrema. 159.  
Locus Micheæ de spinis. 43.  
Locus Pauli Rom. 1. Reuelatur ira &c. 276.  
Locus Pauli Rom. 2. An diuitias &c. 167.  
Locus Pauli Rom. 7. & Gala. 5. de pugna spiritus &  
carnis. 329.  
Locus Pauli Rom. 8. De carne & spiritu. 311.  
Locus Pauli. 9. de Pharaone. 198.

Locum



- Locus Pauli Rom. 9. Iacob dilexi & c. 217.  
 Locus Pauli Rom. 9. de figulo & luto .206. 220.  
 Locus Pauli Rom. 9. Quos uult indurat & c. 48.  
 Locus Pauli Rom. 11. Gentes non sect. iusti. & c. 314.  
 Locus Pauli Rom. 11. O altitudo & c. 15. 332.  
 Locus Pauli Rom. 11. De uoluntate Maieſtatis diuinae non ſcrutanda. 151.  
 Locus Pauli .1. Corin. 1. Euangelium eſt ſcandalum Iudeis & c. 280.  
 Locus Pauli .1. Corin. 3. Cogitationes ſapientum uanae ſunt .93.  
 Locus Pauli .1. Corin. 3. Neq; qui plantat neq; qui rigat eſt aliquid & c. 266. 269.  
 Locus Pauli .1. Corin. 6. Omnia mihi licent & c. 44.  
 Locus Pauli .1. Corin. 13. Si charitatem non habeam & c. 266.  
 Locus Pauli Gala. 3. Quicumq; ex operibus legis ſunt & c. 292.  
 Locus Pauli .2. Theſſa. 2. de Antichriſto .141.  
 Locus Pauli ad Timo. & Titum de claritate ſcripturae .86.  
 Locus Pauli .2. Timo. 2. de uafis. 221.  
 Locus Petri, de lampade lucente .85. 87.  
 Locus Prouerb. 16. Hominiſ eſt preparare cor cum reliquis locis .185. 256.  
 Locus Pſalmi .2. de tumultuantibus populis contra Chriſtum .39.

Locus Pſal



Locus Psalmi .4. Signatum est lumen &c. 107.  
Locus Psalmi .13. Dominus de caelo prospexit .284.  
Locus Psalmi .18. & .118. Praeceptum Domini  
lucidum .84.  
Locus Samuelis de maledictione Simeï .190.  
Locus Zachariae .1. Conuertimini ad me &c.  
132. 135.  
Loci pro libero arbitrio tractantur .105.  
Loca in scripturis quae meminerunt gratiae, tollunt  
lib. arbi. 273.  
Loqui ad cor Hebraismus .238.  
Luditur uulgus uoce liberi arbitrij .98.  
Lumina tria .335.

M

Magi Aegyptiaci .66.  
Maieſtatis diuinæ iudicia & mysteria adoranda .50. 151. 203.  
Maior seruiet minori .213.  
Malus bona loqui non potest nec bona facere .313.  
Mercedis & operum mentio in scripturis .154.  
Meritum condignum .303.  
Meritum non est penes liberum arbitrium .237.  
Meritum siue merces in scripturis .156. 159.  
Meritum non probatur ex mercede .162.  
Militia uita hominis .298.  
Militiae uocabula apud Paulum .239.

Z

Mina &



*Mina & promissiones . 155 . 160 .*  
*Ministerium uerbi . 266 . 269 .*  
*Miracula nullus edidit pro dogmate libe. arbi. 64.*  
*Misereri quid secundum Diatriben . 177 .*  
*Morbos quosdam minori malo tolerari quam  
tollit . 41 .*  
*Mose & legislatoris opus . 131 .*  
*Mundus quid significet . 252 .*  
*Mundus regnum Satanae . 91 .*  
*Mundus quid significet apud Iohannem . 315 .*  
*Mundus persequitur Euangelium . 294 .*  
*Mundus hic mirabiliter regitur à Deo . 335 .*  
*Mundum amittere satius est quam Deum . 41 .*  
*Mysteria summae Maiestatis non sunt amplius in se-  
cessu, sed manifestissima . 14 .*

N

*Natura humana caeca . 119 .*  
*Necessitas consequentiae & consequentis . 27 . 210 .*  
*Necessitas immutabilitatis & coactionis . 54 .*  
*Necessitas neque meritum neque mercedem ha-  
bet . 157 .*  
*Necessitate mera fieri quicquid fit à nobis . 54 .*  
*Necesse est nosse Deum omnia necessario agere  
& c. 29 .*  
*Nemo credit se à Deo amari nisi pius . 50 .*  
*Nemo uenit*



Nemo uenit ad me nisi pater traxerit eum .326.  
Neq; qui plantat neq; qui rigat est aliquid .266. 269.  
Nequitia cordis humani .226.  
Nicodemus exemplum libe. arbitrij .319.  
Nolo mortem peccatoris &c. 137.  
Non est intelligens nec requirens Deum .284.  
Non omnia uera esse que sunt in Euangelio, io-  
cantur quidam .74.  
Non permanebit spiritus meus in homine .232.  
Non potest homo quicquam accipere &c. 267. 325.

o

Omnes filij iræ natura sumus .185. 331.  
Omnes peccauerunt & uacant gloria Dei .299.  
Omnes sub peccato sunt & gentes & Iudei .282.  
Omnia fieri necessitate ex prescientia Dei .47. 206.  
Omnia in solius Dei uoluntate pendere .202.  
Omnia necessario fieri & immutabiliter .26. 28.  
Omnia incerta nobis futura sed necessaria euentu .257.  
Omnis caro fenum &c. 242.  
Omnipotencia Dei .188. 197. 204.  
Opera ceremonialia non sunt mortifera post mortem  
Christi .291.  
Opera legis non iustificat .290.  
Opera legis, que sint apud Paulum .292.  
Opera moralia .241.

Z Z Opera in



*Opera in re iustificationis excluduntur à Paulo .305.*

*Operatores legis duplices .293.*

*Operarij murmurantes in Euangelio .225.*

*Origenes & Hieronymus authores deprauationis scripturarum .234.*

*Origenes tropologus, quem Hieronymus imitatur .171.*

*Origenis fabula de triplici affectu .312.*

*Originale peccatum facit libe. arbi. nihil posse nisi peccare .309. 336.*

P

*Pacem externam uult & querit Diatribe .11. 38.*

*Papa cum suis non est ecclesia Dei .79.*

*Papa conscientias ligat, Euangelium soluit .47.*

*Papæ causam agit Diatribe .46.*

*Papæ sæculum .77.*

*Parce tres immutabiles .28.*

*Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt .164.*

*Patrum authoritas .47.*

*Patrum omnium cecitas in Paulo .305.*

*Paulus à Hieronymo arguitur scripturæ deprauator .212.*

*Pauli disputatio contra liberum arbitrium pro gratia .276.*

Paulus frere







*Præscientia Dei scientia nobis necessaria.* 30.  
*Præscientia Dei certa & infallibilis.* 199.  
*Principalis pars hominis.* 248. 252.  
*Promissiones & minæ in scripturis.* 155. 160.  
*Promissiones gratiæ.* 138.  
*Propheta & pij tentantur de iniquitate Dei.* 334.  
*Prouerbia quædam indicant prædestinationis scientiam & notitiã diuinitatis relictã esse in uulgo.* 29.  
*Pugnantia in scripturis somniant sibi liberi arbitrij assertores.* 229.  
*Pugna spiritus & carnis.* 329.

Q

*Qualis est natura tales fiunt homines.* 186.  
*Quæ facit Deus sunt ualde bona.* 185.  
*Quæ sint ea, quæ ad æternam salutem perducunt.* 100.  
*Quæ supra nos nihil ad nos.* 141.  
*Qui non est mecum contra me est.* 111.  
*Qui credit non iudicatur, &c.* 323.  
*Quid tam offendat sensum communem & rationem.*  
*Quod natũ est ex carne caro est &c.* 245. (205.)

R

*Ranæ creare non possunt lib. arbitrij assertores.* 66.  
*Ratio humana in scripturis non nisi stulta & absurda*



*surda garrat. 117.*

*Ratio non capit fidem in Christum necessariam esse. 166.*

*Ratio non laudat Deum ut Deum, sed sua querit. 227.*

*Ratio non capit articulos fidei. 183.*

*Rationis humanae caecitas in rebus Dei. 182. 224.*

*Regna in mundo duo pugnantisima. 115. 328.*

*Rerum mutationes sine tumultu fieri non possunt. 40.*

*Romani gloria urgente omnia fecerunt, &c. 249.*

S

*Salus nostra tutior est in manibus Dei quam nostris. 330.*

*Salus uel uita aeterna incomprehensibilis. 100.*

*Sanctimonia patrum. 67.*

*Sanguines in Iohanne quid. 316.*

*Sapientia Graecorum. 245. 281.*

*Sapientes mundi caecutiunt in rebus diuinis. 93.*

*Satan & impius non sunt nihil. 187.*

*Satan princeps & deus huius saeculi. 56. 329.*

*Satan totus est contra gratiam in homine. 262.*

*264. 329. 336.*

*Satanæ potentia. 92. 94.*

Z 4 Satanæ reg=



Satanae regni descriptio .287. 329.  
Satanae opus .130.  
Satisfactionis & confessionis libera praedicatio .36.  
Sceptici & Academici absint a Christianis .8.  
Scio domine quoniam non est hominis uia eius  
&c. 254.  
Scriptura lux spiritualis & certissima .82. 84.  
Scripturae testes sermonum Christi .85.  
Scriptura duplex claritas, ut etiam duplex obscu-  
ritas .16.  
Scripturae interpretatio penes quos .81.  
Scripturae non sunt obscurae neque ambiguae .82.  
Scripturae pugnancia quomodo tollitur .274.  
Scripturae simplicitas attendenda .171.  
Scripturae ueritas non hominum sed Dei iudicio  
pensanda .49.  
Scriptura tota est contra libe. arbi. 328.  
Scrutari scripturas .203.  
Sensus & cogitatio cordis humani &c. 236.  
Sequela mercedis non dignitas meriti .158.  
Sequela & tropi in scripturis quando admitteren-  
di .171.  
Sequela & similitudines Diatribes .129.  
Sequela rationis humanae .120.  
Si coniunctio .117. 152.  
Si charitatem non habeam, nihil sum &c. 266.  
Si Deus adest Satan abest .111.

Simi



Sinei maledictio in Samuele. 190.  
Similitudo omnis claudicat. 222.  
Similitudo solis & hymbri Diatribes refellit  
tur. 180.  
Similitudo de fermento. 221.  
Similitudo de palmito & uite. 264.  
Similitudo Pauli de figulo & luto. 206. 220.  
Sine me nihil potestis facere. 259.  
Sol & hymbes Euangelium est. 182.  
Spes & expectatio. 161.  
Sophistarum nugæ à sacris literis arcende. 32.  
Spiritus arguet mundum. 328.  
Spiritus in patribus. 68.  
Spiritus opponitur operibus legis in Paulo. 293.  
Spiritus per uerbum tribuitur à Deo. 161.  
Spiritus reuelat ea, que sunt uite æternæ. 100.  
Spiritus igemonicus in homine. 248.  
Spiritus requiritur ad scripturæ intelligentiam. 16.  
Spiritus sanctus non est Scepticus. 12.  
Spiritus iudicio omnia discernenda. 82.  
Spiritus & carnis pugna. 329.  
Spiritu doctore opus est in re theologica. 5.  
Spirituum probatio. 81.  
Statuta humana non possunt seruari cum uerbo  
Dei. 46.  
Stephani oratio in Actis Aposto. 8. cap. 89.  
Stoici Philosophi. 68.

Z 5 Summa



*Summa Epistole Pauli ad Romanos .207.*  
*Summa noui Testamenti .156.*  
*Suscipit duplita de manu Domini &c. 237.*

T

*Terra culta & inculta .183.*  
*Terrena loquitur, qui de terra est .326.*  
*Testamentum uetus & nouum .155.*  
*Tractus Dei ad Christum .327.*  
*Traditiones humane & uerbum Dei pugnant .43.*  
*Tres esse deos Sophista male loquuntur .36.*  
*Triples sententia & opinio de libe. arbi. 107.*  
*Tropi & sequele quando in scripturis admittenda .171.*  
*Tropologorum mos .194.*  
*Tumultum excitat uerbum Dei .39.*  
*Tumultus causa uerbo predicato .40.*

V

*Vehementiam Lutherus quomodo excuset .275.*  
*Velle merum & purum non est in homine .111.*  
*Verbum Dei tumultus excitat .40.*  
*Verbum Dei non est alligatum .44.*  
*Verbum Dei lampas lucens .87.*  
*Verbum Dei & traditiones humane pugnant .43.*  
Verbum



Verbum Dei spectandum nobis est. 143.  
Verbi Dei fortuna. 39.  
Verba Dei lex & Euangelium. 100.  
Verba legis & gratiæ obseruanda sunt in scriptura  
ris. 136.  
Verba imperatiua legis sunt uerba. 126. 129.  
134. 147.  
Verba imperatiua & indicatiua. 127. 172.  
Veritas an promiscuis auribus prostituenda. 33. 44.  
Veritas præhonoranda. 18.  
Veritas ubiq; prædicanda. 44.  
Veritas promissionum Dei. 195.  
Verum dum inuulgari prohibetur, cupiditatem cog  
noscendi adfert. 53.  
Vexamur uocabulo liberi arbitrij. 59. 72.  
Via duplex ostenditur homini. 125.  
Viglephi articulus, omnia necessitate fieri, falso  
damnatus. 168.  
Virginitas coelum, coniugium terram replet. 75.  
Viri spiritu pleni, oraturi ad Deum, sine libero ar  
bitrio accedunt. 68.  
Vita uel salus æterna incomprehensibilis. 100.  
Vitæ æternæ prædicatio. 101.  
Vis humanæ uoluntatis quid? 99.  
Vis est, uis est libe. arb. non satis est dicere. 69. 71.  
Vita alia post hanc uitam. 334.  
Vniuersalia uocabula in Paulo neglecta. 310.  
Voluntas di



*Voluntas diuine Maieftatis .157.*  
*Voluntas impiorum cur mala fit & ſemper peior*  
*fiat .193.*  
*Voluntas carnis in Iohanne quid .316.*  
*Voluntas uiri in Iohanne quid .316.*  
*Voluntas Dei predicata & non predicata .141. 149.*  
*Voluntas Dei efficax & ſapiens .26.*  
*Voluntas Dei alia quàm hominum .26.*  
*Voluntas Maieftatis diuine adoranda non perquir-*  
*renda . 141. 161.*  
*Voluntas Dei duplex .141. 149.*  
*Voluntas in homine ceu iumentum .56.*  
*Voluntas humana ſerua Satanae .263.*  
*Voluntati Dei quis reſiſtet .201.*  
*Voluntatis Dei nulla cauſa, nec ratio, nec regula .193.*  
*Voluntatis noſtrae uires noſſe neceſſarium eſt .23.*  
*Voluntarie genuit nos & c. .271.*  
*Vos de mundo eſtis ego non ſum .326.*  
*Vox legis & uerbum gratiae .139.*  
*Vulgus quomodo coerendum .36.*

FINIS.



ERRATA.


Folio. 28. Versu .9. lege pro erat, terat  
in ore.

Folio .36. Versu penultimo, lege pro falsibus,  
falsis legibus.

VVittemberge, apud Iohannem Lufft.  
Mense Aprili. Anno.  
M. D. XXVI.















































Th  
1381